




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Theses Theologicæ Apologeticæ Et Miscellanæ,
Adversvs Doctrinam Cornelii Iansenii Propvgnatam Ab
Eivs Patronis Svb Prætextv Qverimonix Typographi
Lovaniensis**

Derkennis, Ignatius

Antverpiæ, 1641

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73743](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73743)




Th. 447a.




D. V

5.



12



THESES THEOLOGICÆ
A POLOGETICÆ
ET MISCELLANÆ,
ADVERSUS DOCTRINAM
CORNELII IANSENII

PROPUGNATAM AB EIVS PATRONIS

SVB PRÆTEXTV

QVERIMONIÆ

TYPOGRAPHI LOVANIENSIS,

EDITIONIS SECUNDÆ.

Defendentur Louanij in Collegio Societatis IESV
Quando Aduersariis videbitur.



A N T V E R P I Æ
Apud IOANNEM MEVRSIVM.


ANNO M. DC. XLI.

THESES THEOLOGICAE
 APOTHECIS
 ET MISCELLANEA
 ADVERSUS DOCTRINAM
 CORNELII AMICE LECTOR

Multa sunt quae diu suasere, nihil reponere libellis iis, qui à Iansenij Patronis vulgati circumferuntur. Inprimis quia nimis friuolus praetextus est *Querimonia* vnius Typographi, vbi de rebus grauissimis disceptatur. Deinde quia operæ pretium vix videbatur respondere iis, qui sub alieno idiotæ nomine delitescunt suum erubescunt. Quia denique nullius propè momenti est, quod Thesibus Anti Iansenianis haecenus opponitur: vt has abundè pro seipsis loqui peritorum iudicium sit. Verùm quia non pauci sunt, quos momenta rerum hinc inde conferendo expendere aut piget, aut non vacat; aut qui etiam non satis valent: quod proinde genus hominum superficiei rerum contentum, aliquid fortasse *Querimonia* istis tribuere posset, visum tandem fuit (aliis insuper quibus veritas in re tanta curæ est, & auctoritas magna, impellentibus) dicto etiam hominum generi satisfacere. Accipe igitur breuem Thesium nostrarum per Theses defensionem: aut si placet, nouam doctrinæ Iansenianæ, & Iansenianorum, qui eam suam faciunt, oppugnationem. Atque id, amabo, sedulò tecum ipse expende, quàm mutilum sit illud Iansenij patrocinium, vbi vnus, aut alter dubius locus (imò subinde non dubius) per nescio quas ambages, à germano sensu detortus, atque à reliquo contextu, qui lucem addere posset, avulsus, tot euidentibus Scripturæ, Conciliorum, sanctorum Patrum, Doctorumque testimoniis (quæ omnia ab Aduocatis illis dissimulantur) opponitur.

AMICE LECTOR
 APOD IOANNEM MEVSIVM
 ANNO MDCXII

I. DEVM VELLE OMNES HOMINES SALVOS FIERI.

rrorem esse, imò Massiliensium basim, eam Recentiorum sententiam, qui exponunt illud 1. ad Timoth. 2. Vult omnes homines saluos fieri, de voluntate saluandi omnes, quantum in ipso est, asserit Iansenius tom. 1. lib. 8. c. 15. Hac in parte Iansenium propagant eius patrum: Non ignorari, aiunt, à nobis, longè aliter illud Apostoli accipi ab Augustino. & constanter nostram ab eo reuici interpretationem, que fuit Massiliensium. Vnicus in id sufficit locus Augustini ex epist. 107. A Iansenio etiam sacere audent Prosperum epist. ad Ruffinum, quoniam & Fulgentium. pag. 37. Querunt.

RESP. Quà voluntate Deus velit omnes saluos fieri, id vnanimi cōsensu Patres deducunt ex eo, quod subiungit Apostolus: Vnus enim omnium Deus, vnus mediator, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Vt ergo omnium, sine exceptione, est Deus, est mediator, est redemptor; ita omnium vult salutem. Voluntas enim mediocritas, per se arguit voluntatem finis. Veteribus ea in parte consentit Augustinus, qui non modò ingeminat Christum omnium Saluatorem, & pro omnibus mortuum, quia omnes mortui; sed solenne illud Patrum Græcorum, atque ex Latinis, Cypriani, Ambrosij &c. *Mysticus ille sol iustitia, omnibus ortus est, omnibus venit, sic admittit, vt omnes indiscriminatim posse Dei præcepta seruare, si modò velint, sæpius inculcet. Cuius rationem reddit, quòd illud lumen illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Vt hic Augustinum veteribus opponere non possis, nisi communibus eorum dictis vim inferre malis, & illi nouitatis notam inpuras: quam ne incurreret, veterum Patrum auctoritatem agnoscit, & se per eam tuetur, ac absolute recipit propugnandam lib. 2. contra Iulianum cap. vltimo,

Hic reclamant Ianseniani, & queruntur conturbari etiam verba Augustini, vt Iansenio aliquid valeamus impingere. Augustini sententiam: *Verum est enim omnino omnes homines hoc posse, si velint, vt ἐμφατικῶς dictam, exponimus: omnes omnino posse, si velint: & rectè; iuxta scopum Augustini, & verba. Nam quod Augustinus docuerat lib. 1. contra Manichæos cap. 3. Omnes posse seruare Dei præcepta, si velint, quia illud lumen illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; confirmat lib. 1. Retract. cap. 10. his verbis: Verum est enim omnino omnes homines hoc posse si velint: quod merito ἐμφατικῶς dictum accipitur: quia voces, omnino omnes, nullo interposito com-*

mate dirimit editio Parisiensis, & Basileensis, & sic sensus reuera requirit; tum quia id sine vlla limitatione concedit Pelagianis, solum addens, voluntatem à Domino debere præparari, tum quia per omnes, non solos eos comprehendit, qui de facto Deo obsequuntur, quorum paulò antè meminerat; sed reliquos etiam non obsequentes. In eundem sensum, ait lib. 2. de peccatorum meritis c. 17. Homines non esse sine peccato in hac vitâ, quia nolunt, et si esse possint, gratiâ adiuuante diuinâ.

Mentem eam, et si non dubiam, Augustini huius fidelissimus Interpres ac Discipulus certior reddidit D. Prosper, nisi fortè eos inter se committere malis. Hic igitur lib. 2. de vocat. gent. cap. 19. disertè dicit: *Deus pro omni tempore vult omnes homines saluos fieri, aut generalibus donis, aut etiam peculiaribus.* Hinc & paruulis omnibus, ex communi ea voluntate omnes saluandi, ait, dari generalia ea subsidia salutis, *qualia vnica impensa nationibus, cap. 23. Rein hanc eandem prosequitur circa adultos; cap. 25. & concludit: Deo autem placuit, & hanc (specialem misericordiam) multis tribuere, & illam (generalem) à nemine submouere.* Atque ita probat Deum, velle omnes saluos fieri, vt & cap. 28. iii. fine. Non minus efficax est id quod ait cap. 29. *Preterea super omnes misericordia Dei, à quo, quod & nemini negatur, & nulli debetur, in eis, quod promissum, efficitur.* Vbi vides nemini negari id, quod ad salutem spectat. His sub finem capituli, subdit: *Bonitas Dei consulit semper, & consulit, vt neque vlli pereuntium excusatio suppetat, de abnegato sub lumine veritatis.* Audin, Neque vlli: Subiungit cap. 30. *Vt tribus illis saluberrimis & veracissimis definitionibus sinu innixi, quarum vna profertur æternum & proprium diuinæ esse bonitatis, vt omnes homines saluos fieri velit.* Hanc voluntatem esse omnino generalem, probat cap. 31. ex illo Apost. *Qui est saluator omnium hominum, maxime fidelium.* Postremò sic librum concludit: *Deus, qui omnes vult ad agnitionem veritatis venire, &c. Quis hinc non videat, eam, quam Prosper hausit à magistro suo Augustino, his expressam esse doctrinam? quæ si errorem continet Massiliensium; necesse est vtrumque, cum veteri Ecclesia, lapsum in errorem.*

At Iansenianis contra Recentiores sufficit Augustini Epist. 107. & Prosperi ad Ruffinū, ac Fulgentius; qui communiter Semipelagianos in eo inculant; quòd hi sæpè opponant Deum velle omnes saluos fieri. Verum non

ad verba, (nisi & Apostolum argui velint) sed ad sensum Semipelagianorum, qui reprehenditur, reflectere debuissent Aduersarij. Docebant Semipelagiani gratiam secundum nostra merita dari, secundum demerita negari: & sic in potestate nostra esse, vt consequamur salutem: in quem sensum urgebant verba Apostoli, vt satis indicat August. epist. 107. de quo vide Thesim 3. de Semipelagianis. Hunc sensum, vt erroneum damnat August. probatque gratiam infantibus aliquibus sine merito conferti, sine demerito aliquibus non dari: atque ita exponens Apostolum, quod non nisi Deo volente sal-

uentur, qui salui fiunt, subdit: *Est quædam modo verba Apostolica intelligi possunt. Quibus tantum negat dari efficacem voluntatem innuit autem voluntatem dari committere, quæ illi contraria non est: & Augustinus hanc tantum monet, vt contrarietas vitetur. Eundem scopum respicit Prosper, hic enim habet in exordio epist. citatæ: *Vna est blasphemia, gratiam Dei secundum merita hominum dari. Quam refellit eo modo, quo Augustinus supra, & impie in eum sensum trahi Apostolum docet. Eodem omnino spectat Fulgentius.**

II. DE CHRISTO PRO OMNIBVS MORTVO.

Negare videri volunt Tridentinum Concilium, aut S. Prosperum repugnare Ianfenio, asserenti Christum pro solis electis mortuum; eo quod Prosper dixerit ad capitula Gallorum cap. 9. cum rectissime dicatur Saluator pro totius mundi redemptione crucifixus... potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit &c. pag. 14.

Resp. Christus non solum pro electis de facto saluandis crucifixus & mortuus est, sed etiam pro non saluandis: pro illis efficaciter; pro his verè & proprie ex sincero affectu salutis eorum, ad quam obtinendam sufficientia media morte sua iis promeritus est.

Hoc sensu, & non alio intelligi possunt verba Prosperi: alioqui, vti in his ipsis locis quæ aduersarij allegant, ita & in aliis, quorum Theses meminere, sibi ipse aperte contradiceret: quomodo enim aliter verum esse possit, quod respondet ad 1. obiectionem Vincentianam: *cum rectè omnes dicantur redempti (lytro nempe sanguinis Christi pro omnibus perfoluto) & tamen non omnes à captiuitate sine eruti, redemptionis proprietatis (hoc est efficacia) haud dubiè penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras.*

Quare vnà cum Tridentino Prosper repugnat Ianfenio, asserenti Christum tantum pro electis mortuum, & dicta Prosperi testimonia frustra allegant eius fauores.

Tridentinum sess. 6. cap. 3. *Est ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt; sed hi dumtaxat quibus meritum passionis eius communicatur.* Euidens est his Tridentini verbis comprehendi non saluandos, pro quibus Christus mortuus sit. nam

Omnes qui saluantur mortis Christi beneficium recipiunt:

Aliqui pro quibus mortuus est Christus,

hoc beneficium non recipiunt; ergo Aliqui pro quibus mortuus est Christus, non saluantur.

Hunc syllogismum eueruari oportuit aduersariis, vt Tridentinum Ianfenianæ doctrinæ non aduersari ostenderent: sed eueruari non potest à Catholico; nam maior propositio certissima est: minor ipsius Tridentini, & consequentia legitima.

Quod ad Prosperum atinet, apud eum prima obiectio Vincentiana est: *quod Dominus noster Iesus Christus non pro omnium hominum salute, & redemptione sit passus.* Hæc Prospero præfatione responsum ad huiusmodi obiectiones est ineptissima blasphemia prologum mendacium, membrum vnum diaboli in illius subscriptione anathematis reuocanda, perna infamie, impia, profana, opinio, denique blasphemia.

Contradictoria igitur in proprio sensu simpliciter vera est: quod pro omnium salute Christus mortuus sit: at nullo sensu vero potest esse Ianfenio; nam

Nullò vero sensu Christus mortuus est pro eorum salute, qui propter solum originale positiuè reprobatum sunt. quos Deus non vult saluos fieri, quibus sufficientia ad salutem media Christus non est promeritus pro quorum salute non est magis mortuus, aut non magis orauit Patrem, quam pro diaboli, qui in Massa perditionis perpetuo relictus sunt, qui necessariò finaliter peccant.

Atqui iuxta Ianfenium hæc omnia contempunt non saluandis; ergo Nullò vero sensu pro iis Christus mortuus est.

Non iuuat quod magnitudo pretij pro omnibus fuerit sufficiens: nam alioqui fuisset etiam Christus mortuus pro salute diaboli.

Nun

Non item inuatur, quod communis fuerit omnium in primo homine perditio; quod vna omnium natura, & vna omnium causa; (vt ex Prospero referunt) nisi hæc fuerit (vt idem Prospero asserit) à Domino nostro in veritate suscepta. Nam redempti dici non possunt, pro quibus luctum non perfoluitur, etsi ob eandem causam captiui sint, ob quam alij, pro quibus soluitur; etsi pro iis etiam futurum sufficiens, pro quibus non soluitur.

Quamuis nec Tridentinum, nec Prospero Ianenio aduerfarentur, mutila nihilominus eius foret defensio, & desertio cause potius; cum ad duo dumtaxat accusationis capita aduocati illi obiter, & perplexè respondeant, plurima verò alia, tot illustria Scripturæ loca, tot irrefragabilia maximi nominis Patrum, ipsiusque Augustini testimonia intacta relinquunt. Vide Theſium cap. 2. artic. 6. cap. 3. artic. 3. cap. 5. paral. 5.

III. DE GRATIA SUFFICIENTE.

IANENIUS Gratiam sufficientem, quæ sit distincta ab efficaci, sic pro hoc statu negat, vt asserat. 1. eam inutilem, & perniciosam. 2. Maiori utilitatem, quam Pelagianæ hallucinatione, iam statuit; ac per eam induci naturæ integritatem. 3. Eam tantum feruere maiori damnationi. 4. Inuentam contra sensum Ecclesiæ, Patrum, & omnium vetustiorum Theologorum. 5. Per eam euerri principia, quibus Patres veram Christi gratiam defendunt. 6. Illam, videri monstrum quoddam singulare gratiæ. Vt retulimus cap. 2. Theſium, articulo 8.

PATRONI eius circa hæc ita Ianenium suscepere propugnandum, vt alius dissimularis, dicant. 1. Non veram Christi gratiam, monstrum vocari à Ianenio, vt inuidiose, inquit, inculcatur; sed colligere eum ex monstruositate illa, quod gratia ea nunquam sortiatur effectum, nullam eiusmodi gratiam dari. 2. Non adeo debere id mirum videri, quia medicamentum illud, monstrum quoddam foret medicamenti, quo hausto, ægri mori tantum possent; non hausto, essent immortales: adeoq; cum nemo possit spiritaliter mori, nisi per gratiam sufficientem (vt volumus Scholasticus) Deus illi assistat; & illa nunquam tota æternitate sit habitura effectum; videretur eam dari, quibus tantum posse mori, & non datâ, esse immortalis, quod monstrum est. Vide pag. 6. Querimoniar. Postremò pag. 33. queruntur, verba Trident. sess. 6. cap. 11. ad probandam gratiam sufficientem, contra Ianenium, per vim alio referri, quam à Concilio allata sint. pag. 33.

Non s. veram Christi gratiam internam, in hoc statu ex eius meritis conferri, quæ lapsis indebita sit, & non efficax, ex Scripturis, Conciliis, Patribus, & vnanimi, post tot facta, Scholasticorum consensu, demonstrauimus cap. 2. Theſium art. 8. Quod adeo receptum est, vt oppositum meritò in Caluino damnetur. Per eam porro roboratur voluntas, vt possit operari, si velit; & liberè consequi salutem: cui proinde nulla deest conditio, ad veram Christi gratiam requisita. Hanc à Ianenio vocari, singulare quoddam gratiæ monstrum, nemo negare potest, nisi qui oculis suis fidem non habeat. In hoc

ergo qui Ianenio patrocinantur, monstruosam censuram tuentur.

Nemo gratiam merè sufficientem, potest monstruosam vocare, nisi penitus illam omnem, pro hoc statu, velit sublatam: quo ipso quoddam quasi portentum inducit. Illa enim sublata, an non monstruosum est, præcipi omnibus in hoc statu, vt salutem suam ferid curent, vt peccata vitent, sub interminatione pœnæ æternæ incurrendæ, ni obsequantur, & interea deesse cuius reprobo, etiam ante lapsum finalem iusto, necessariam gratiam ad salutem, & cuius peccanti, (nec enim illis adest gratia efficax, quæ secundum hanc rerum ordinem posita hypothefi tantum dari potest) eam, quæ exigitur vt possit euitari peccatum? Sic dum monstrum sibi fingit Ianenius, eiusque Affectu in gratia sufficiente, vel eo solo, quod illam dari nolint, verum monstrum inducunt.

Ex altero etiam capite, insolens est Ianenij, aliorumque censura, quod monstruositatem gratiæ sufficientis, arguant ex perpetua carentia effectus; nam etsi sufficiens, quæ talis, semper frustratur effectum, id tamen non oritur ex intrinseco vilo gratiæ defectu; (vt malè arguitur) sed ex solo vitio liberæ voluntatis reuertentis operati. Et sanè si carentia effectus, eam arguit monstruositatem, monstruosam etiam erit gratia, Angelis omnibus lapsis data ad pœnterandum, (quam admittit Ianenius) in tot millibus non sortita effectum. Deinde gratia intrinsecè eadem cum ea, quæ sufficiens est, in alio sortitur effectum, qui rectius videtur illa datâ. Ex quibus patet hæc falsa esse. 1. Hominem per gratiam illam, tantum mori posse. 2. Hominem hac non datâ, fore immortalis; nam etsi tunc, ob potentiam operandi subtractam, peccaturus non sit, non idè liberabitur à morte peccati prius contracti. 3. Gratiam sufficientem æquiparari posse cum medicamento, quo hausto æger tantum mori possit, quia cum ægritudo tum superet vim medicamenti, nequit hoc ob defectum virtutis requiri.

et, adferre facultatem; gratia vero illa, ex se conferre potest vitam, & mors solùm sequitur ex voluntate quæ gratiæ resistit.

Quam insolens censura est, tam parum fundata querimonia Iansenianorum, quæ ad probandam gratiam sufficientem per vim adduci iactant Trid. sess. 6. c. 11. Elucet id manifestè, si scopus Concilij & contextus capituli attendatur. Inscibitur caput: *De observatione mandatorum Dei, deq; illius necessitate, & possibilitate.* In illo iam iustificatos, Concilium inuitat, ad ea præcepta religiosè seruanda, & maiorem in virtute profectum. Quod ut impetret: 1. clamat dicentes, impossibile esse iustificato seruare præcepta. 2. docet Deum inuadendo monere, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuare, ut possis. 3. illos proficere posse per Christum.

4. subiicit: *Deus, sua gratiâ solum iustificatus, non deserit nisi prius deseratur.* Tandem ita concludit: *Sic currite ut comprehendatis.* An non hinc apertè conficitur, iustificatis datam esse potestatem seruandi præcepta, & adiuuari illos ut possint ea seruare, & proficere, ac tandem conceptâ spe, (quæ non confundit) quod Deus eos non deseret, feliciter comprehenderet. Et si data ea potestas, quomodo data nihil per gratiam, saltem sufficientem; quæ hinc vis illata Concilio? Imò quæ non inferret à Iansenio, dum gratiam sufficientem negat. Quid enim est deserere, quam subtrahere gratiâ, potestatem, etiam iustificatis, adiniuam peccandi? Sanè enim à medico desereretur æger, qui, quam adhibere posset, negaret medicinam vitæ seruandæ necessariam.

IV. DE GRATIÆ MOTIONE ET COOPERATIONE EIVS CVM VOLVNTATE.

NON rapit, inquit, Deus impetu effici, & irresistibili, ut Hæretici fingunt, humanum arbitrium, tanquam rem inanimatam, aut appetitum brutarium. pag. 41.

Resp. Quis hætenus ita insinuerit, ut tanquam rem inanimatam, aut appetitum brutarium, humanum arbitrium rapi dixerit, sanè nefarius: necdum, puto, negat ut hominem rationale esse animal. audi Caluin. 2. instit. cap. 5. § 14. *Extranea*, inquit, est illa similitudo, quæ nos inuidiosè grauatur: quis enim ita desipit, ut hominis mentionem à iactu lapidis nihil differre autumat? & post pauca: *an cum saxo conferemus, quod alieno impetu vibratum, nos mouet, nec sensu, nec voluntate propria feratur? videntur quantum sit discriminis.* Ceterum irresistibilem esse gratiæ motionem illi constanter docent, docet etiam Iansenius. vide Theses cap. 2. art. 8. & 9. cap. 3. art. 4. cap. 5. parall. 8.

Dicunt ex Patre Suario intelligi, Deum duplici concursu impellere posse humanam voluntatem, uno rapiendo, & necessitando eam, ut Hæretici volunt, altero molliari, & qui non auferat libertatem. pag. 42.

Resp. nihil ad rem: verba dantur. Quis Theologorum vniquam negauit Deum posse rapere voluntatem, & necessitare ad bonum? Sed hoc est, quod contra Hæreticos hætenus docere Doctores Catholici omnes, non semper ad facere per gratiæ impulsum,

alioqui dum faceret, non relicto in vitam libertatis, ite mollior concussus, si necessitationem non excludat, à priori nec hilem differt, si excludat, deserit Iansenius, quæ necessitati voluntatem toties inculcat. vide Thesium cap. 2. art. 11. cap. 3. art. 7. cap. 4. art. 1.

Pagina 36. sic habent: *Autem Iansenius, cum Luthero & Caluino, negare gratiam cooperari voluntati: & tamen nullius inculcat ut amque in opus bonum influere.*

Resp. et si inculcetur centies milies, adeoque sibi contradiceret, ut solet cum iis, quæ regiâ viâ relicta nouas sectantur sententiis numquam efficit, quin verum dicent Thesium auctores, cum dixere, Iansenio Pelagianas phrasas esse gratiam prouocare, allicere, cooperari voluntati: sed bene habet, quod id non negent eius aduocati anonymi, asserunt id ipsam strenuè, verum subtiliter pro subtilibus: subtilissimè, inquit, & præcisè loquendo gratia operatur, quia operatio ab ea incipit; voluntas humana cooperatur, quia gratia non ad simul operandum trahit. Ecce iam non cooperatur gratia, sed subtilissimè loquendo, per nos licet igitur, ut credat, qui volat, subtilissimè locutum Iansenium, dum Pelagianam phrasim vocauit gratiam cooperari voluntati, sed simul Thesium auctores verum dixisse, & Iansenium infelices habere aduocatos. vide Thesium cap. 2. art. 10.

V. DE LIBERTATE INDIFFERENTIÆ.

Libero arbitrio indifferentiam tribuit à Iansenio, & peccata verè libera esse, 2. Contendunt Ianseniani, & oppositum esse falsissimè (pag. 40. & 41.)

2. negari tantum indifferentiam eam, quam excepserunt Scholastici, quam nec in suis approbat Barmanus. pag. 40. 3. à Iansenio diu voluntatem, efficit.

efficaci gratia dilectione præuentam, atque determinatam ad bonum, adhuc tamen posse facere malum. pag. 41. Innuunt 4. secundum hanc Prosperii definitionem: Liberum arbitrium est rei placitæ spontaneus appetitus, requiri tantum spontaneum ad libertatem. 5. Tandem tuentur Iansenium, quod in dictis domesticis asseramus, S. Thome de prædeterminatione sententiam esse Iansenianâ duriorē, & potentius per eam eueri liberum arbitrium.

Fidem hic meritò in Iansenianis desideratî facile intelligas.

Ad PRIMVM enim RESP. Iansenio non vitetur vitio, quod indifferentiam eam concedat, ex qua voluntas hoc tempore bonum, malum verò alio operetur, quod ne quidem hæreticus vllus, nisi asserat omnem actum peccati labe infici, potest negare: sed hoc in illo arguitur, quod eo tempore, quo voluntas à gratia præuenitur, adeò non sit indifferentia ad faciendum malum, vel non bonum, vt contra sit tantum necessitas ad bonum, quam sententiam Scripturis, Conciliis, Pontificum decretis, ac Patribus repugnare, contendunt Thesiũm Auctores, nec id videri posse à modernorum hæreticorum tamnata doctrina distingui. & ne in speciem quidem distinguunt Ianseniani, qui ne nihil dixisse videantur, maluere indifferentias prædictas non sincere confundere, quam, ne aperte conuinceretur Iansenius, eius causæ non patrocinari. Quod verò ad libertatem in peccando spectat, sic de ea loquitur Iansenius tom. 2. col. 641. 642. *Solius primi hominis peccatum voluntarium fuit, ceterorum peccata (sive actualia, sive originalia) peccata sunt, quia ex origine libere & propriè dictæ voluntatis (primi hominis) nata.* Huius rationem videtur reddere to. 3. col. 16. in hæc verba: *Voluntas concupiscentiæ imperio, & ponderi, ita indifferenter seruit, eodem plane modo quo voluntas beatorum, in omnibus motibus seruit diuinæ charitati.* Vbi æquiparat vim concupiscentiæ determinantis ad peccatum, cum virtute determinatiua charitatis; quo manifestè innuit, voluntatem per concupiscentiam necessitari ad peccatum, quod proinde non sit liberum.

Ad secundum, facilis est responsio, nam cum eam neget Iansenius dari indifferentiam voluntatis, quam statuunt Scholastici, hi autem ad veram libertatem requirant potentiam, quæ positis prærequisitis queat agere, & non agere, aperte conficitur, eam negari à Iansenio indifferentiam, quæ veram constituit libertatem. Sed nec Bellarminus quidem, indifferentiam iam dictam, in suis approbat. Id assument, vti plura alia, liberaliter, nec probant Ianseniani. Mentem suam ipse

manifestè expressit, in recognitione librorum de gratia, his verbis: *Non volumus significare Deum, ex mente S. Thome, re ipsa vti illo primo modo, cum mouet homines* (nempe immediate voluntatem mouendo, ac determinando ad vnum, vt ipse paulò antè exponit) *per gratiam efficientem: existimamus enim, Deum posse quidem vti illo primo modo, si velit; sed tunc tolli omnino libertatem arbitrij.* Hic ergo approbat in suis Bellarminus dictam indifferentiam, vt per determinationem ad vnum, quam ponit Iansenius, & in quo eum tuentur Ianseniani, censeat, tunc tolli omnino libertatem arbitrij.

Ex his, patet responsio ad tertium, quia ex verbis Iansenij id solum potest concludi, voluntatem determinatam ad bonum, tunc tantum posse operari malum, quando non erit determinata ad bonum, adeoque quando per concupiscentiam determinata tantum erit ad malum.

Quartum, eò tendere videtur, vt cum suis Caluinus, veram iam negans dari libertatem, disertè tamen spontaneum appetitum admittens, immeritò à Catholicis damnatus esse censeatur. In quam rem iniquè Prosper adducitur nam in lib. contra Collatorem c. 19. spontaneum appetitum, accipit pro indifferente, more pluribus aliis Patribus vsitato, & patet ex ipso contextu Prosperii, qui agit de arbitrio primi hominis . . . ex se indifferentis in primo statu, etiam consentiente Iansenio. Quam indifferentiam, etsi plurimum imminutam, etiam in hoc statu, aperte ille agnoscit, lib. 2. de vocatione gentium cap. 12. Dum voluntas per gratiam operatur bonum: *Eorum, inquit, meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri.* In eundem sensum ait eodem libro, cap. 28. in fine: *Quemadmodum isti (qui inuitantur, vt in fide maneat) in sua habent potestate, vt exeant, ita & isti (qui nondum crediderunt) in sua habent potestate vt veniant.*

Ad Quintum. Hoc redarguunt lectiones publicæ: nam 1. sententiã de prædeterminatione, non dicitur esse D. Thome, sed Thomistarum multorum, & §. 4. eiusdem capitis ostenditur per testimonia 30. ex S. Thoma relata, huic repugnare. 2. Solum asseritur ea Thomistarum sententiã ex parte durior esse Iansenianâ, quæ restrictio clarè exprimitur, cum dicitur Iansenius in statu Innocentiæ & Angelorum admittere perfectam indifferentiam, sic vt ad actuale consensum opus non sit gratiã prædeterminante, quam ad illum pro quouis statu requirunt Thomistæ, vt ex natura rei requisitam. 3. Vti ob rationem allegatam Iansenius dicitur secundum quid mitior Thomistis, ita hi ex parte etiam dicitur Iansenio esse mitiores, quod illi affirmant

ment voluntatem non necessariò operari bene aut male; non omnem gratiam iam datam esse efficacem, voluntatem se indifferentem agere, habere ad vtrumlibet, quæ negat Iansenius. Atque ita ex triplici capite arguitur non bona fides Aduersariorum. 1. quòd pro Thomistis substituunt S. Thomam, cuius negatur ea esse sententia. 2. quòd refe-

rant ut absolute dictum id, quod non nisi cum expressa restrictione, & veritate assertum est. 3. quòd respectu huius status, de quo iam tota est controuersia, affirmant fieri nos Thomistarum sententiam esse Iansenianà duriorē, cuius oppositum publicè restati sumus.

VI. DE IGNORANTIA INVINCIBILI.

Inter propositiones Iansenij hanc etiam recensent: Ignorantiam inuincibilem non excusare à peccato delinquentem: cum addere debuissent iuris naturalis ignorantiam: quòd multi Iuriconsulti non longe respiciunt. Sic illi pag. 40.

RESP. Quà id obsecro lege addere debuerunt? cum simpliciter verum dixerint, Iansenium docuisse: Ignorantiam inuincibilem non excusare à peccato? quod utique verum esset, etsi in unico tantum casu docuisset non excusare, cum iam vniuersum docuerit, quam late patet ius natura.

Interea asydata sunt, Ignorantiam inuinci-

bilem iuris naturalis non excusare à peccato; & excusare iuris positum.

Multi Iuriconsulti non longe respiciunt. Multi quinam illi cur nec vnus adductus? Sed nec competens forum est pro hac causa, in qua de culpa Theologica agitur, de hac nolunt Iuriconsulti esse indices, sed de civili solent, aut vera, aut præsumpta, in ordine ad forum externum. Itaque ad forum Theologicum te retraho, in quo, video, suspectos haberi indices; verum exceptioni locum non esse, latè nosti. Vide Thesum cap. 2. art. 13. & cap. 2. art. 12.

VII. DE ATTRITIONE.

Atritionem ex metu poenarum conceptam peccaminosam esse disertè ita docet Iansenius: 1. *Ve neget solâ poenarum formidine nos posse detestari peccatum, vt non peccemus.* 2. *Ve dicat id esse principium, & oppositum repugnare solidissimis principijs Augustini.* 3. *Ex natura timoris fieri, vt sit voluntatis repugnantia, quæ habeat conuictam voluntatem peccandi.* 4. *Ex eo timore fieri, vt timens nihil ex animo, & coram Deo sincere operetur.* 5. *Nihil eorum, quæ vera penitentia complectitur, illo timore comprehendi.* 6. *Timorem eum poenarum non esse sufficientem dispositionem cum Sacramento Penitentia ad gratiam, & oppositam sententiam esse admiratione dignam, & in mera hallucinatione fundatam.* Patent hæc ex Thesum nostrarum cap. 2. art. 16. & 18.

Contra hæc sic Iansenium tuentur eius Patroni. pag. 37. *Querimonia. Accusant Iansenium quasi repugnantem Patribus Tridentinis, qui aiunt attritionem esse donum Dei &c. cum id non neget Iansenius, sed doctrinam suam, & Augustini per omnia Sacro Concilio consentientem, & quimultiplicem istius metus utilitatē suse ostendit.* 2. *Nonnulli Theologi dicunt timorem eum supernaturalem tantum esse quoad modum.* 3. *Si però neget Iansenius attritionem ex metu poenarum ad remissionem peccati sufficere sine motu imperfecti amoris, dicit, quod quidam alij Theologi eruditissimi, & Pater Suarez affirmat, non esse de fide certum, quòd Sacramentum Baptismi, & Penitentia possit cum sola attritione conferre gratiam.* 4. *Concludunt: Quid ergo*

ineptius quàm Iansenium idcirco suspicet, quam hereticum?

RESP. Vt fidei principium necessariò admittendum est: 1. Deum mortalium animis ingenerare timorem poenarum, itaque intentate, vt ex timore id saltem impetent, quod non obtinet ex amore. 2. Christum hortari ad timorem quo timeamus nihil à Deo in gehennam, vt ex Luca 12. 7. 5. patet. 3. Gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei confugimus, &c. non esse peccatum, vt ex Trid. sess. 6. can. 8. patet. 4. Attritionem ex amissione aeternæ beatitudinis conceptam, esse verum & vtilem dolorem, & præparatam ad gratiam, vt in Trid. sess. 4. can. 5. dicitur. 5. Timorem prædictum excludere posse voluntatem peccandi, & disponere ad gratiam in Sacramento Baptismi, & Penitentia impetrandam, vt satis patet ex Trident. sess. 6. cap. 6. & can. 8. & sess. 14. cap. 4. Cum his quomodo vel in speciem consistat doctrina Iansenij relata, ne Oedipus quidem conuictus, nec id patroni illius ostendunt, vt magis elucefceret.

RESP. AD PRIMVM. Hæc videri omnino directè repugnare: Gehennæ metus, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, non est peccatum, siue, Attritio ex poenarum metu concepta voluntatem peccandi excludit, quæ est doctrina fidei definita à Tridentino. Et hæc Iansenij propositio: *Aperitissimum est, & in-*

bitatum impossibile esse, ut ille non peccet, qui pena timore non peccat. Vti & hæc: impossibile est, ut ille, qui in peccandi proposito constitutus est, sola pena formidine ita mutet voluntatem, peccatumque detestetur, ut non peccet, quæ tunc id est principium esse impossibile. de quibus vide Theſes ſuprà. Maniſeſte enim Tridentinum dicit, timorem aliquem ex motu pœnarum conceptum non eſſe peccatum ſolum, imò eſſe à Spiritu ſancto. Contra Ianſenius ait, Impoſſibile eſſe, ut timor ex tali motu conceptus non ſit peccatum, quæ contradictionem inuoluunt. Quomodo ergo Ianſenius probat ſuam doctrinam per omnia conſentientem Concilio? Quomodo etiam Auguſtino, cuius duodecim teſtimonia adducta in Theſibus, hunc timorem & bonum, & uilem, & ſalutem eſſe apertè conuincunt? At uariam illius mentis utilitatem commendat Ianſenius? Hanc nempe ſolam, (nam omnis eò recidit) quod timore coëctemur quidem ab opere, animum tamen ſemper peccatis affixum retinamus, quod ipſum Lutherus fatetur contra Leonis X. Bullam art. 6. ubi ait: *His enim doctrinis (quibus inuita pœnarum docentur homines pœnitere) coëctentur quidem ab opere, quibus tamen, ſi liberè loqui concedas, ſtatim dicunt: ſe non ex animo pœnitere, & niſi infernus eſſet toto impetu malle explere mala ſua.* Porro nunquam à Ianſenio eam timoris utilitatem prædicari, quæ peccatum omne excludat, ſatis patet ex ſue lib. 3. tom. 7. ubi ſic ait: *Continet enim ſaltem opus, ſi non animum, & paulò pòſt: ſi non ex toto, ſaltem aliqua ex parte is, qui ſeruiliter timet, à peccato reuocatur.* His detrahitur omnis ea larua, quæ timor ille ſpecioſè commendatur, tota enim ea commendatio non enèruat maniſeſtam hanc Ianſenij propoſitionem: *Impoſſibile eſt ut timor ex motu pœnarum conceptus non ſit peccatum.* Nec tollit hypocriſim his uerbis Ianſenij expreſſam: *Timens quidquid ex illo timore fecerit, nihil ex animo, nihil ex corde, nihil uolenter agit, nihil coram Deo operatur.* in quo ille Luthero conſentit, qui in art. 6. contra Bullam Leonis X. dicit gehennæ metum facere hominem hypocritam, & quid per hypocritam intelligat ibidem explicat, dicens: *Quod ex corde non fit, tam hypocriſis eſt, ut dicit Chriſtus Matth. 15. . . ego enim hypocritam aliter deſcribere non poſſum, quam eum qui id quod facit, non ex animo, & ſincero corde facit.*

AD SECVNDVM. Quod inde patrociniū Ianſenio? Anne Doctores Catholici idèo timorem aſſerunt eſſe peccatum (prout contendit Ianſenius) quòd illum in modo tantum cenſeant eſſe ſupernaturalem? An non diſcretè etià adiungunt illum eſſe honeſtum? Videatur conſenſus Doctorum, & Academiæ Louaniensis in Theſibus, cap. 2. art. 16. Deinde eſt, aliquis horror gehennæ ſit in ſubſtantia naturalis, quod tantum aſſeruit Wiggers citatus ab Aduerſariis, non idèo quæuis attritio talis erit, quid ni enim ea, quæ refrigimus pœnam, & ſimul peccatam, ut nos impediunt à poſſeſſione ſummi boni noſtri, hæc ſit in ſubſtantia ſupernaturalis, prout innuit apertè Wiggers ſuprà, dicens illam ad ſpem Theologicam pertinere?

AD TERTIVM RESP. Non tantum argui Ianſenium in eo quòd neget attritionem eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad gratiam Sacramenti, ſed maxime quòd oppoſitam ſententiam more ſibi familiari, exclamet admiratione dignam, & in mera hallucinatione fundatam, quod nec ante, nec poſt Trid. ullus audeat Theologorum: ex quo efficaciter oppoſita Ianſenio ſententia probatur. Et quamuis eam de fide non eſſe aſſerat Sàarez citatus tom. 3. de gratia lib. 9. cap. 10. ait tamen eſſe ueram, & tom. 3. in 3. p. diſp. 16. ſect. 2. dicit certum eſſe, quod attritio cognita ſit materia ſufficiens, ut Sacramentum conſecratur. Et Mulderus 1. 2. diſp. 86. aſſeruit per Eccleſiam declaratum eſſe, quod quaſi tunc Sacramentum adminiſtrari poſſit tantum attritio, ſine vlla irreuerentia. Quæ fiducia ergo in mera hallucinatione fundatam eam ſententiam iactat Ianſenius?

AD QVARTVM. Hæc exclamatoriè dicta uidentur, & quidem pro Ianſenio, qui pro arbitrio ſuo hæreſes & errores, & non tantum horum ſuſpiciones, Patribus, Episcopis, tot ſæculorum Doctoribus, & ſapientiſſimæ ſuæ Academiæ pro arbitrio aſſingit. Pro his exclamare oportuit: Quid ineptius quam tot tantòſque viros non ſuſpectare tantum (ut uerbo eorum utar) ſed infamare tamquam hæreticos? Ceterum pro Ianſenio etiam exclament per nos licet Aduerſarij, dummodo hi ſufficienter oſtendant illum per omnia hic conſentire Tridentino, quod apertiffimè dicit dari timorem ex motu pœnarum honeſtum, cui illud Ianſenij tom. 3. col. 597. contradicit. *Attritio ex ſolo gehennæ metu proſecta diuerſis modis animum peccato affixum eſſe ſunt, aut facit, neque quidquam de Dei offenſione curat, neque peccati odium adfert.*

VIII. DE CONCEPTIONE DEIPARÆ.

Sic aiunt: In suspensionem alteram, si Deo placet, strahunt (Iansenium) quasi de immaculata Virginis conceptione sequius aliquid sentiret, contra nuper decreta Pontificum. Docet quippe (sic loquuntur) cum Augustino: impossibile esse miseriam à Deo infligi sine culpa precedente, cui subsumptum est in Theibus: Sed Beata Virgo passa est miseriam, & mortua est, & iuxta Trident. sess. 6. can. 23. omni peccato actuali caruit: ergo, &c. Ex quo volunt eodem modo sequi Christum fuisse originalis culpe reum, pag. 39.

RESP. Credebamus notum esse cuilibet Christiano Deiparam non esse passam, aut mortuam pro peccatis alienis, ut passus est Christus Dominus: unde quemlibet primò fronte visurum, illam ab omni actuali immunem, originalis ream fuisse, si impossibile esset in innocente creatura reperiri penalitates, non autem Christum Dominum.

Sciunt (inquiunt) Iansenius Virginem spectali privilegio à labe originali à filio potuisse eximi, relictis vitæ penalitatibus ad virtutis exercitium, ibid. pag. 39.

RESP. Si sciunt, ergo inconsequenter dixit: impossibile est miseriam à Deo infligi sine culpa præcedente. Nam id quod per pri-

uilegium à peccato exempta infligi potest, id certè infligi impossibile non est.

Relictis vitæ penalitatibus.

Optimè; placet sanè commentarius: sed tum firmiter consistet, quod tamquam Pelagianismi basim contra Pontificum decreta traducit Iansenius, possibilitas scilicet status puræ naturæ, quam iam frustra ille trium librorum machinis demoliri conatus est, atque hoc ipso ariete per bonam partem Tractatus illius, quod nullum qualescumque malum inferri possit à Deo creature innocenti.

Nec est tam generalis regula, quæ pati non possit aliquam exceptionem, ibidem.

RESP. Ita scilicet etiam pati potest, quam in præsentia causa format Iansenius: Ex ipsi terminis crudelitatem, & iniustitiam spirat, nocentem animam, nulli peccato obnoxiam ad miseriam status præsentis condemnare. Crudelis ergo, & iniustus potuit esse Deus, dum Virginem, ab actuali, & originali immunem, penalitatibus affligi sinit: sed per exceptionem à generali regula. Vide an hoc non sit prodece potius, quam defendere Iansenium. Vide Thesum cap. 3. Art. 1. & cap. 4. §. 1. & cap. 5. Par. 1. & 2.

IX. DE POENA PARVULORVM.

HOs puniri igne gehennæ ex sententia H. Augustini manifestum esse dicunt his verbis: Sententiam Iansenij, de penis parvulorum, sciunt esse ipsius Augustini, & vtriusque Academiae Belgicæ, pag. 42.

RESP. Certè nescimus, imò scimus non esse, qui locum S. Augustini pro nobis eundem adferimus, ad quem nec Conrius quidquam respondet, nec porro Iansenius, qui Conrium facit suum. Ad Augustini loca, quæ obiciunt, respondet D. Thomas de malo q. 5. art. 2.

Et vtriusque Academiae Belgicæ.

Hoc item nescimus. Meminimus certè adductos pro nobis in Theibus Driedonè, & Malderum Academiae Louaniensis Scriptores illustres. Quod subscripserint aliqui libello Conrij, notum est; sed non continuò hinc arguitur eiusdem esse sententiæ. Quod probabile censent, etiam cum elogio, docti subinde extollunt. Ut fuerint eiusdem sententiæ, viri modesti contrariam non censurarunt, ut Iansenius: cuius non tam sententiæ, quàm censuræ illam, (quam isti sugillant) cum D. Thoma, D. Bonaventura, Scotto, & omnibus penè Doctoribus Scholasti-

cis opponimus, ut probabiliorum. Quid ergo factum, dictumve perpetratum?

Vnicum interdam S. Patrem, ceteri negligenter rapiunt in defensionem suæ heresij, pag. 31.

RESP. Vnicum S. Patrem? quænam hæc quilibet effutiendi confidentia! Videre possunt, qui oculos habent nullum esse in vniuersis Theibus articulum, qui non sit plerumque Patrum testimonio munitus, credimus tamen eum tangi, qui est de pena parvulorum, vbi duo dumtaxat testes ex SS. Patribus adducuntur. Sed qui plures pollinet eum alij non sint, qui huius rei meminerint, excepto fortasse Gregorio Nysseno, qui etiam nobis fauens citatur à Maldero. Ambrosiasterum credo, explodent ipsi aduersarij.

In defensionem suæ heresij.

Non rectè ex officio Aristarchus hic virgæ censoriæ vitur. Designare debuerat hæresim: id eum non præter, quæ censuræ ipsè dignus sit, dicat Iurisconsultus, conicere tamen cogimur (ut dixi) articulum de pena parvulorum sugillari: id si est, iuxta Censores illos hæresis erit dicere: Parvulos absque baptismo mortuos non puniri penâ gehennæ: quare D. Thomas, D. Bonaventura, Scot-

cus, Gabriel, Driedo, Malderus, & Scholastici Scriptores penè omnes (vno, alteròve excepto) hæreseos infimulantur. Vide The-
sum cap. 2. art. 4.

X. DE BVLLA PII V. ET GREGORII XIII.

Hanc dicunt 1. à Pio V. fuisse scribis sollicitationibus extortam, eumq; in ea edenda importunitati cefsisse a. 2. vitiatum à nobis Bulla iniuriam, scribendo: Ad perpetuam rei memoriam pro: Ad futuram b. 3. pro verbo circumscribendi male ipsos nos illo proscribendi c. 4. Non in solo Vasquo reperiri vocem Tamen, sed etiam in Suarez d. 5. Melius de Sede Apostolica mereri Iansenium, qui Articulos in Bulla duorum Pontificum damnatos, doctrine S. Augustini molliter applicat (id est, ex prætenfa S. Augustini doctrina cõtra Pontificium Diploma defendit) quam Recentiores qui, contrarium faciendo, veteres Pontifices (vt ipsi iudicant) cum recentibus committunt. e

AD PRIMVM. An dicendo Bullam, à Pio V. Pontifice importunis sollicitationibus extortam, satis reuerenter de Sede Apostolica loquantur, ipsi viderint, & Romani iudicabunt. Nos sentimus Pontificem contra Hæreses, errores, &c. censuras pronuntiantem, importunitati cedere non solere, nec debere: eiusque definitis vocem à Spiritus sancti inspiratione prodire; non ab hominum importunitate extorqueri. Sanè Pontifex ipse aliud indicat, cùm dicit: *Quas sententias stricto coram nobis examine ponderatas damnamus, &c.* Quin & Michael Bayus in suis ad Card. Simonetam litteris, non dicit extortam fuisse sententiam; sed iudicium sub Pio IV. inchoatum, sub Pio V. diu pendisse. Cuius sententia, demum à Gregorio XIII. post annos duodecim, fuit confirmata. Sed an etiam extorta? Audiatur ipsa Facultas Theologica Louanienfis, quæ in responfione ad litteras R. P. Prouincialis N. & P. Leonardi Lessij, sic loquitur: *Ad petitionem Facultatis Theologicae Louanienfis, per R. P. Franciscum de Toledo procuratum, vt ad Pij V. Bullam, etiam accederet Gregoriana.*

AD SECVNDVM. Verba Pontificum: *Ad perpetuam rei memoriam*, scripsimus vt in Turiano, & Vasquo reperiuntur. Sed & ipse Michael Bayus, *Ad perpetuam rei memoriam*, scripsit in ea Bulla, quam suæ Apologiae (quæ apud nos est) præfixit. Iam quòd Pontifices per rō futuram intelligant perpetuam, tum ex eo patet, quòd Hæreses, erroreſque, (quod in Bulla fit) non ad tempus, sed in perpetuum damnari soleant: tum ex ipsis verbis Pij V. qui in fine Bullæ Cardinali Granuellano mandat, vt expendat, *Quid ad perpetuam dictarum sententiarum & scripturarum abolitionem facto o-*

pus sit. Quæ causa, vt opinamur, fuit, quare Facultas Theologica Louanienfis (vt in Responfione supra citata declarat) *ad perpetuam rei memoriam* sancitum voluerit, vt studiosi prædictos articulos, (in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. damnatos) in graduum susceptione aburrare, & Magistri, Professoresq; omnes, ab iis docendis, defendendis, asserendisq; abstinere, & diuersam atque oppositam doctrinam tradere iubeantur. Cui constitutioni (verba Responfionis sunt) omnes ad vnum Facultatis Doctores manu propria tum subscribere, estq; ipsa ad perpetuam rei memoriam etiam in publica instrumenta non pauca, & codicillos à nobis relata. Quæ proinde etiam hodie illos religio constringit, iuramentibus in eam sententiam S. Theologiae Doctõribus. Non ergo, vt illi obiiciunt, os Bullæ detorqueamus: sed illo vtimur ore, & fermone, quo ipsis & eorum maioribus Pontifex ipse & Facultas locuti fuerunt.

AD TERTIVM. Vbi tenorem Bullæ referimus, non proscribendi, sed circumscribendi, verbo vtimur; vt patet ex præfatione ad caput IV. Thesisum. Alibi, vbi non tam verba, quam sensus Bullæ adfertur, licuit nobis, proscriptionis voce vti; quod licuit Iansenio, & Auctori Indicis. Videatur hic tom. 2. verbo Bellarminus, & Bulla: ille tom. 2. lib. 3. de statu naturæ puræ cap. 22. vbi de istis propositionibus loquens sic dicit: *Quid ergo ad propositionem, quam proscripsit Sedes Apostolica: & ita passim etiam alibi proscriptas vocat.*

AD QVARTVM. Negamus vocem *Tamen* in Bulla Suarij reperiri. Quod autem in Bullæ explicatione vim interpunctionis, siue commatis (') per *tamen* Suarez exprimit; rectè facit, non in Bullæ fraudem; sed ad sensum explicandum, quem Bulla ipsa requirit. De Commate porrò illo, quod contra fidem originalis Bullæ à Recentioribus additum iacet Iansenius, mirum nunc silentium; cùm proditum sit Bullam Authenticam ms. omni omnino interpunctione carere. Bullam verò in Camera Apostolica impressam, eo loco apertissimum comma habere. Fatentur ergo id temerè iactatum à Iansenio.

AD QVINTVM. Nota Iansenium tom. 2. lib. 3. de statu naturæ puræ cap. 22. vt veram defendere hanc propositionem à Pontificibus damnatam: *Deus non potuit ab initio creare hominem qualis nunc nascitur.* Vbi cùm sibi obieciſset: *Quid ergo ad propositionem quam proscripsit* Aposto-

Apostolica Sedes? Respondet: Hereofateor. Sed quid ad doctrinam Augustini clarissimam constantissimam, quam toties probavit & sequitur, sequendam, monuit Apostolica Sedes? supponens, sed non probans, hanc propositionem, quæ à Pontificibus 11. inter hæreticas, erroneas, scandalosas, & offensivas, damnata, abolita, circumscripta, aut (vt verbo ipsius utar) proscripta est, ab Augustino velut fundamentalem doctrinam contra Pelagianam hæresim, traditam & ab antiquis Pontificibus probatam esse. Sed cur posteriores damnant, aut prohibent, quod priores probarunt? Ne Pontificiam, inquit, Sedem in pugna secum relinquamus; nihil arbitror opportunius dici posse, quam Romanam Ecclesiam. . . . cum cerneret contrariam propositionem communi Scholasticorum consensu in scholis certo sensu receptam esse, eam tanquam vetandam censuisse, ne nouitate sua lres, offensa-

nes & scandala generaret. Sed cur ne id fecerit, non potius veram, & ab Augustino doctam, & à nouem, quos Iansenius citat, antiquis Pontificibus approbatam esse declarauit? sic enim his omnia & offensa cessare poterat. Respondet: Quid si vel tunc ostendi potuisset (sicut licet, vt nunc ostendit Iansenius) hanc aliam, nonnullas propositiones ab Augustino, tam inopinate à tot sæculis traditas. . . . nunquam, arbitror, huiusmodi decretum ab Apostolica Sede permanisset &c. Videat hic Lector. An, quod aliis malè impingitur, non ipse Iansenius Pontifices inter se committat. Quam bene de Apostolica Sede mereatur, qui Pontifices illos duos damnasse aut certe prohibuisse dicit, quod damnaturi vel prohibitori non erant, si tunc ostendi potuisset, quod nunc ostendere se putat aut iactat Iansenius.

XI. DE CITATO AVGVSTINO A SVAREZ ALISQVE.

SCRIPTORES Societatis Bellarminum, Molinam, Suarez, Valquez, aliosq, ex Augustino probius doctrinam arripuisse & citasse obiectiones Pelagij.

Hoc asserit Iansenius, & cum centies id repetat, tria omnino loca profert, à nobis refutata cap. vi. Thesis §. 5. Patroni eius, defertis ceteris, vnum è tribus locum defendunt, allatum à Suare ex lib. de Corrupt. & gratia c. 10. vbi hanc sententiam: *Non habuit perseverantiam primus homo, & si non habuit, non ullaque accepit: quamquam in obiectione positam, accipit pro admittit. & dicunt*

I. *Eam esse obiectionem Pelagij. Sed dicunt, non probant: constat enim ex initio libri & cap. 10. eam esse Valentini Abbatis Augustinum consulentis.*

II. *Falsum esse quod Augustino tribuit Suarez: Non potuisse primum hominem habere perseverantiam non acceptam, cum ille oppositum doceat. Negamus docere oppositum, vel ostendant in illo Augustini libro, hanc aut similem propositionem: Potuit primus homo habere perseverantiam non acceptam. Quod non faciunt, nec faciunt. Pro Suare facit illud cap. 11. Gratia data primo homini est, quæ fit vt habeat homo iustitiam si velit. Et illud: Quæ sic adiuuabatur liberum arbitrium, vt sine hoc adiutorio in bono non maneret, & per hoc posset permanere si vellet. Ex quibus pro se bene concluderet Suarez, primum hominem si perseveraf-*

set, non rectè potuisse dicere: se habuisse perseverantiam non tamen accepisse, quod illum dicere potuisse perperam censent Aduersarij, ex eo quod posset eam sibi dare per liberum arbitrium, adiutum gratia sufficiente; nec indigens datà sibi efficacia. Nam etiam gratiam sufficientem, quam habebat, poterat reddere efficacem: si tamen id faceret, non efficeret, quin ea peculiariter à Deo esset data: atque ita accepta.

III. *Augustinum non distinguere in dupliem perseverantiam. & hanc, non potentiam significans, sed actum.*

In utroque falluntur: Nam perseverantiam quandoque pro actu, quandoque pro habitu sumi, docet D. Thom. 2. 2. q. 109. a. 2. & 4. Duplicem verò perseverantiam, siue adiutorium perseverantiam, siue in actu, siue in habitu spectatum, manifestè agnoscit Augustinus cap. 12. dum ait: *Primo homini datur est adiutorium perseverantiam, non quo faceret, vt perseveraret, sed sine quo perseverare non possit. Quid manifestius, quam duplex hic adiutorium perseverantiam ab Augustino distingui, vnumque Adamo tribui, alteram negari? Quid ab omni specie veri alienius, quam id quod admittit Suarez, esse obiectiones Pelagij, ab Augustino refutatas? Quam stramineus laqueus, quo teneri putant Suarezianus oculatissimus doctorem.*

XII. DE DOCTRINA LESSII.

HANC dicunt 1. à Facultate Theologica Louanensi, & Duacensi proscriptam. 2. ex Diplo-

mate Sixti IV. aduersus Petrum de Rino Louanensem Philosophum edito, valdè oppugnatam. (pag. 51.)

3. Decreto P. Claudij Generalis, alijsq; Patribus sub Clemente VIII. & Paulo V. proscriptam. 4. à Bellarmino grauer improbatam. pag. 10. 11.

AD PRIMVM. Antiqua Lessij causa modò non agitur, sed Iansenij; eaque non cum Academia, sed cum pauculis Iansenij defensoribus, qui se Academia nomine palliare presument. Quibus tamen pro Lessio sic breuiter ad singula respondemus. Qui ex vtraque illa Facultate Lessij doctrinam censuerant, proscribere eam suâ auctoritate non poterant: cum nulli (nisi B. Petri successori Pontifici Romano) liceat doctrinam Christianam res controuersas definire: vt Censoribus illis rescriptit Octavianus Episcopus Calatinus cum potestate Legati à latere Nuntius Apostolicus, in eo diplomate, quo, iussu Sixti V. Pontificis, Lessij doctrinam defendit, & sana doctrina articulos nuncupauit. Minus id nunc potuit vnus Iansenius tamen Episcopus, eiusque Patroni, cum diploma illud sub pena excommunicationis lata sententia grauissimè edicat: vt nemo cuiuscumque ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis existat. impoſterum atteneret, vt ausu temerario eas hereticas, suspectas, offensiuas, & periculosas esse. affirmare presumat. Vbi cum sententias ipsas notari vetat Pontifex, liquet, quòd ex iis ne quidem materialis hæresis impingi possit Auctori. Quòd notent ij, qui in hoc bene purgasse se putant Iansenium, quòd dicant eum nulli formalem hæresim impigisse. Qui verò dicunt veteri se, ne Lessius veritati indaganda studens in obscura nocte ignes fatuos viderit; ij legant Matth. 5. 22. & timoris sui remedium inuenient, si patienter legant. Sanè ignes fatui SANÆ DOCTRINÆ ARTICVLOS non ostendunt, quos teste Pontifice inuenit Lessius; etiam tunc quando à Suario recessit. Nec enim si quandoque non eadem docent Angelicus & Seraphicus Doctor, illicò sana docere desinunt. Ceterùm Lessius non alium quàm Augustinus hominem inuenit, à latronibus semiuiuum relictum. Semiuiuum, inquam: sed videant qui id obiciunt pag. 28. ne pro semiuiuo mortuum ex Iansenio obrudant, & nil nisi cadauerinum exhalantem, quippe qui iuxta illum, quocumque se verterit, quadam humanis viribus insolubili peccandi necessitate teneretur. Sic enim docet tom. 2. col. 496.

AD SECVNDVM. Diploma Sixti IV. quo is Petrum de Riua damnauit, Lessij doctrinam non tangit: docuerat enim de Riua peccatum Antichristi à Deo reuelatum, & negationem Petri à Christo prædictam, non contingenter, sed ex necessitate, & inimpedibiliter euentura; quia cum reuelatio ea præterita sit, nec ad præteritum detur potentia, &

eà positâ per necessariam consequentiam ex ea sequatur Antichristum & Petrum esse peccaturos: hinc illa ipsa quoque peccata docebat esse necessaria, & inimpedibilia. quòd meritò damnauit Pontifex; vt & Axioma, iuxta eum sensum, quo ad illud probandum abutebatur Petrus de Riua: videlicet: Quòd ex inimpedibili per necessariam consequentiam sequitur, hoc est inimpedibile. Quamquam Axioma Petri de Riua, qui est articulus eius secundus, hoc potius fuit: Nihil præcedit per lineam successionis median, (id est, tempore) euentum futuri contingentis, quòd huiusmodi euentum (sic nempe vt contingens maneat) inferre possit per necessariam consequentiam. Quòd ex iam dictis patet falsum esse. Nam vt benè contra prædictum Petrum de Riua definitum est Articulo tertio: Dei præsentia de futuro euentu rerum contingentem futurarum insert per necessariam consequentiam res illas fore. Vt hæc est necessaria consequentia: Deus præscit Antichristum esse nasciturum, ergo Antichristus nascetur. Cui tamen consequentia necessitas, non tollat contingentiam consequentis. Aliud longè volebat Lessius: non enim dicebat inimpedibile, & necessarium esse id; quòd ex aliquo quocumque modo inimpedibili sequitur per necessariam dumtaxat consequentiam (quòd volebat Petrus de Riua) sed quòd necessario, & efficaciter sequitur ex aliquo omni modo inimpedibili, quòdque nullo modo dependet ab vlla libera nostra determinatione; sic enim necessarium fore censebat actum bonum; quem Deus omnipotenti suâ voluntate absolute, & efficaciter prædefiniisset, & ex cuius vi efficaciter quempiam ad opus determinaret, absque vllò respectu ad liberam eius determinationem, etiam sub conditione præuisam. Quòd cum à priori illo maxime differat, videntur ij, qui illud axioma nunc adferunt, diploma illud, & controuersiam Petri de Riua numquam legisse, aut intellexisse, aut certè id dissimulare. vt autem intelligant, legant si lubet P. Lugo de Incarnatione disp. 26. sect. 6. num. 72. Quòd si armentarium illud suum accuratius inspexissent, inuenissent certè arma, quibus Iansenium suum impereant; decretum videlicet Facultatis Theologicae Louanensis, quæ anno 1519. damnauit libros & tractatus Lutheri, tamquam de medio tollendos, igniq; cremandos, ob varios articulos, inter quos vnus fuit, quòd insigniter detraxisset Philosophia, & omnibus Doctoribus, qui fuerant ad annos 400. Quòd qualiter à Iansenio præstitum sit, ipsomet teste alibi probauimus.

AD TERTIVM. Decretum P. Claudij doctrinam Lessij non abrogauit: nam admodum R. P. Mutius Vitelliscus Generalis, & Assisten-

Assistentes, & Secretarius, qui decreto illi condendo praesentes interfuerant, Patres item congregationis 7. ad id deputati, censuerunt: non intendisse P. Claudium suo decreto decernere Deum sua voluntate praedeterminasse, vel praedeterminasse aliquid nostrum bonum opus independentem a cognitione libera nostra voluntatis: nec etiam quod in gratia efficaci sit aliqua entitas realis, aut alius modus physicus in actu primo qui non sit in gratia sufficiente: sed hoc tantum quod fuerit speciale beneficium Dei dedisse vni v.g. Petro ex proposito boni in eo faciendi gratiam eo tempore & loco, quo scientia conditionalium praesciuit illum ea gratia bene vsurum: quod beneficium non contulit alteri, v.g. Ioanni, cui dedit gratiam eo tempore & loco, quo praesciuit eum sua culpa ea non vsurum. Sic ad Provincias rescriptit 7. Iunij 1616. Cui non repugnat doctrina Lessij antea edita, nec quidquid hic in scholis doctum fuit Louanij. Non ergo est, quod in Lessium, eiusque successores hoc decretum vrgeant noui eius Censores: vel in alienis oculis festuca querat.

AD QUARTVM. Bellarminus l. i. de gratia c. 12. cit. nec Lessij, nec Molinae meminit: sed sententiam eorum, qui gratiam efficacem constituunt in consensu, & operatione humana, ita vt ab euentu dicatur gratia efficax, quae videlicet sortitur effectum, refutat, & disputando, non censendo dicit: haec opinio aliena est omnino a sententia D. Augustini, & quantum ego existimo (nota particulam hanc ab aduersariis omitti) a senten-

tia etiam diuinarum Scripturarum. Quam sententiam sic expolitam pro sua non agnosceret Lessius, nec Molina, qui efficaciam gratiae tam in actu primo, quam secundo ponunt volunt in ipsa gratia: quamquam ad efficaciam completam in actu secundo requirant liberam cooperationem voluntatis, vt eam sine qua non; quae a nemine Catholico videtur excludi posse, cum Trident. sess. 6. cap. 5. definiat: hominem diuinae gratiae ita libere assentiri, & cooperari, vt diuinam inspirationem (id est gratiam) recipiens illam adiuuere possit. Vide Less. de Grat. cap. 10. num. 9. & alibi satis pro se locuturum. Quod si Bellarminus, Suarez, Lessius, alijue aliorum sententias in aliquo peculiari puncto quandoque impugnent aut improbent, id modestè, & scholastico more disputando faciunt, non sicut Iansenius eorum doctrinam damnando, & cum Haereticorum erroribus in statera appendendo, & infra eos deprimendo. Sic enim multis non probatur, neque hic tradita fuit, doctrina Vasquez, quae cogitationem congruam ordinis in substantia naturalis, ex merito Christi profectam, verae gratiae accessus, ne vllum opus bonum, non ex gratia ortum, agnoscat. Longissime porro à Pelagianismo abest, ille doctissimus scriptor, qui nullam veram gratiam à Concilio, aut Patribus requisitam reiecit, sed omnem constantissime admittit, & defendit.

XIII. DE AVCTORITATE AVGVSTINI ET PATRVM.

Circa Patres pro doctrina allegata in Thesisibus, multa in defensionem Iansenij praesidenter opponunt illius Patrum. Auent a. 1. Nos horrere mentionem, & nomen Augustini, ideoq. malle ad Patrum vetustiorum tribunal causam totam deferre. b. 2. Errorem Semipelagianum, veteribus Patribus ferè communem fuisse, & eundem in Basilio, Nazianzeno, Chrysostomo, promptissimum esse, ostendere. c. 3. Queruntur Origenem inter SS. Patres in causa Pelagianorum perpetuo produci, quo nihil turpius fieri potest.

a pag. 30. 31. b pag. 31. c pag. 32.

AD PRIMUM. Diffiteri non possumus nos horrere nomen illius Augustini, quem Iansenius, Ecclesiae consensui, Concilio, Patribus, quin & ipsi vero Augustino contrarium reddit, in hoc Caluinum imitatus. Huius verò nomen nos horrere falsitatis satis arguunt Theses nostrae, quae omnes ex indubitatis illius scriptis confirmatae, & supra decem subinde in rem vnam stabilendam locis ex Augustino adductis illustratae, facillè ostendunt, quae veneratione, & amore illum prosequamur. Si plerumque sensum, quo Iansenius in-

terpretatur Augustinum, reiciamus, id nobis non magis vitio verti potest, quam quod contra Caluinum, illum Ecclesiae ac reliquis Patribus ostendamus esse conformem. Augustino, vt indiuiduum comitè adiungimus Prosperum, aliosque illustrioris notae posteriores Patres: atque ita nõ magis ad vetustiorum Patrum, quam ad Augustini, Prosperi, aliorumq. tribunal causam deferimus. Quid quod Augustinus ipse ad vetustiores Patres semper appellet lib. 1. contra Iulian. c. 5. de leg. & lib. 2. c. vlt. Imò & contra Semipelagianos agens, vt patet ex lib. 2. de bono perleu. c. 17. & ad se solum nolit pronocari. Noluit is doctrinam suam videri singulare, sed eum principis orbis Magistris communè. Si hoc ipso ruti, quo ad solius Augustini, ex nostro genero exponendis, tribunal appellamus, tutas erit de ipse Caluinus, idem sepius ingeminans. Tunc etiam Nouatores reliqui, dum ad solam prouocant Scripturam, ex suo sensu explicandam, vt normam veritatis; Quorum methodum satis damnat Trid. sess. 4. dum grauius sanxit: Ne quis contra vnanimum consensum Patrum scripturae

scripturam sacram interpretari audeat. Numquid idem de Augustino variis in locis profundo & obscuro, ut ipse fateatur Iansenius, Patres Concilij sensisse putandum est?

AD SECVNDVM. Non videtur sine insigni tot illustrium Patrum, ac Orientalis Ecclesiae iniuria, Semipelagianorum error, praecipuis illius Doctoribus impingi. Nam primò inde consequens est, ut omnes Orientales, per duo propè secula, turpiter à veritate Catholica aberrarint, quos tamen constat rerum sacrarum doctrinam maximè claruisse. 2. Contrarium arguitur ex eo quòd tantà confessione Episcoporum Orientalium in Concil. Palestino, paucis annis à morte Chrysoctomi coacto, etiam Semipelagianorum error damnatus sit: cum definitum est, gratiam non secundum merita nostra conferri. Quis credat tam vnanimi consensu in Pelagio, Semipelagianos damnados fuisse, si clarissimi illi Patres, quorum auctoritati maximè adhaerere soliti erant Orientales, vt patet ex Conc. Florentino, praedictum errorem constanter docuissent? 3. quia Caecilius Papa cap. 1. epist. ad Episcopos Galliae, errorem hunc vocat *novum*; & *contrarium versuari*. Nec novum tantum, sed & oppositum omnium sanctorum Patrum doctrinae ait Petrus Diaconus, ex Oriente Romam missus in causa fidei lib. de Incarn. 4. Graecorum illorum Patrum sanam fuisse doctrinam, manifestè designat Aug. epist. 106. vbi postquam hunc errorem Semipelagianorum in Oriente damnatum fuisse recitasset, ait: *Vnde sit consequens, vt quisquis sequitur illius Episcopalis auctoritatem iudicij, haec tenere debeat, quae sepe tenent Catholica Ecclesia.* Quomodo id semper tenuit, si Oriens penè totus per duo propè secula aberravit? Sed irrefragabile est aliud etiam Augustini testimonium pro Gregorio Nazianzeno, cuius auctoritatem, vt oppositam Semipelagianis, Augustinus allegat, lib. 2. de bono perseuer. c. 19. & haec illius refert verba: *Deus qui dedit quod primum est, dabit quod secundum est: qui dedit credere, dabit & confiteri.* Et hic est Nazianzenus ille, quem contra Augustinum iactant Semipelagianum fuisse Ianseniani, vt suo patrocinetur Iansenio. Quod ad Chrysoctomum spectat, hunc ea in parte, non adducit quidè pro se Au-

gustinus, sed eum ubique veneratur, & comendat, obiectiones ex eo à Iuliano adductas dissolvit, eum absolute recipit propugnandum. Patent haec ex lib. 1. contra Iulianum c. 6. & 7. lib. de nat. & grat. c. 64. lib. 2. contra Iulianum c. vlt. & c. Sed seipsū satis Chrysoctomus tuerit in 2. ad Timot. 1. hom. 2. dicens: *Vocavit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra; sed secundum propositum suum, & gratiam.* & infra: *nemine cogitante, nemine consulente, sed ex proposito suo, sola vi bonitatis impulsus, saluos nos fecit secundum propositum suum, & gratiam.* Quin & locus ab aduersariis adductus, pro innocencia Chrysoctomi facit. hom. enim 4. in epist. ad Ephes. c. 4. sic ait: *Neque fides, inquit, ex nobis, nisi enim venisset, nisi vocasset, quomodo credere potuissemus?* Et infra: *hoc ipsum Dei donum est, ne quis gloriatur.* Vbi haec notanda: *non secundum opera, hoc non ex nobis: Deus sola vi bonitatis impulsus, hoc ipsum Dei donum est, ne quis gloriatur.* Plura pro veritate Catholica contra Semipelagianos non requirit Augustinus, vt patet lib. 2. de bono perseu. cap. 19. Quod autè Chrysoctomus fidei nostrae esse dicat, & non otiosos saluati, tantum significat, nos Deo cooperari debere, quam cooperatione sic statuit, vt disertè dicat hom. 71. in Ioannem: *Deum incipere, quae tota est Trid. doctrina.* Chrysoctomo Basilium Catholicè hic consentire, satis etiam innuit Augustinus, eum singulariter comendans lib. 1. contra Iulianum. c. 5. 6. 7. & illius absolute suscipiens patrocinium, lib. 2. contra Iulianum c. vlt. Imò & ipse Basilus, aperte alienum se esse ab hoc errore declarat in hexamero, hom. 10. & hom. 22. de humilitate, & frequentius in Constitutionibus monasticis.

AD TERTIVM. Merè voluntaria est accusatio, sine vlla specie veritatis: ad duos tantum articulos confirmandos adductus est Origines. 1. nempe pro indifferentia libertatis, in qua materia Iansenius ipse Originis Auctoritatem allegat, ad stabiliendam libertatè pro suo genio fabricatam. 2. pro possibilitate praecceptorum, in primo nullum errorem agnoscit Epiphanius, Theophrastus, Hieron. imò nec Augustinus ipse, qui Originis errores diligentissimè notarunt, in secundo quæ errorem statuunt, damnant vnanimè Patrum consensum, & doctrinam Tridentini sess. 6. c. 11.

XIV. P A R E R G A.

Hoc sanè nomine indigetare oportet, quæ iam subnectimus: nam hinc inde conquisita, & congesta sunt, nihil ad causam Theismi spectantia. Credo, vt species aliqua libelli formari posset, dum alia festinantibus non supererunt ex veræ Theologiae penu de prompta.

Dicunt Theologiam Iansenij *vita mystica solidissima continere fundamenta*, pag. 4.

Respondeo. Sublime paradoxum! cui id vniquam in mentem venire potuisset, nisi hi Tiresias tam ingens arcana referasset: hoc certè non in-

uiti dabimus, fieri posse, vt mystici illi, si Iansenium die nocteque diligenter lectitent, eique fidem habeant, facile perueniant ad gradum *cauliginis* (& quidem sine medijs raro exemplo) qui supra raptus, & extases in Theologia mystica gradus habetur supremus. Istud scilicet commercij est inter Theologiam Iansenij, & Theologiam mysticam, aliud profus nihil.

Locum ex Imagine primi seculi allegatum taxant his verbis. *Præstigia & fuci sunt, respiciantur tantum tituli controuersie Iesiana cap. 5. vita eius & falsicia*

fastus illius Imaginis sæculi deprehensa erit pag. 12.

RESP. Respiciantur sanè: per nos non licet tantùm, sed rogamus, ut fiat, & quàm immeritò vel ex ipsius Sedis Apostolica iudicio doctrina ista censurata sit, facillè quilibet discet. hos autè articulos detegere falsitatem *Imaginis sæculi*, ut assequamur, quid sibi hæc velint, Oedipo nobis opus est: quas cõsequentiã strophas hic sibi formet, sanè nescimus, nec conicere operæ pretium. Si responderi voluissent, apertius, quid vellet, aperire debuissent. Quod ad apologias, & antapologias in causâ Læstiana compolitas provocat, quid opus est, ubi habetur de causâ tota summi Tribunalis sententia? vitam tamen scripta illa versarentur in omnium manibus!

Bruxella Indiculus XII. articularum viris & feminis nobilibus intrusus in infamiam doctrine Auctoris ut per manus, ex arte veteris profusus & more Masaliensium pag. 15.

RESP. Factum id sit nec ne, rectè, vel peperam, nõ refert: si doceri non possit à Societatis hominibus factum, aut procuratũ. Id potrò inficiamur. Verũ fingamus factũ. Si ipsissima doctrina auctoris proposita sit, quomodo non potius in honorè eius, si doctrina vera & sancta est, ut auctor ipse, & fautores eius volunt. Sin verò falsa, cur defenditur? si cõficta, cur non ostenditur?

Calumniosum est artem illam veterem ex Prosperi verbis obicere, nisi demonstretur cõfictas esse blasphemias, & mendacia, ac per hoc diabolicum indiculum, quæ de aduersariorum obiectionibus dicit Prosper.

Adducunt 1. in defensionem suam Theses eiusdem cum Augustino Ianseniano genij, à PP. Minoritis Hibernis à 14. annis defensas. Afferunt 2. à quibusdam è nostris dictum eas ex eadem Iansenij officina produsse pag. 17.

RESP. Ad primum. In capitali puncto de libertate arbitrij Theses illæ PP. Hibernorũ Iansenio è diametro aduersantur. sic ait Thesis 11. *Manet ergo liberum arbitrium in statu nature lapsæ: ad eius tamen libertatem constituendam non sufficit libertas à coactione (ut delirat Caluinus) sed omnino requiritur libertas à necessitate.* Quo vno posito tota machina Ianseniani voluminis vel ipsomet teste penitus subruitur.

Ad Secundum. An suspicionem suam Theologiæ studiosus è nostris quispiam disserendo retulerit, necne, nihil moramur. friuolũ est huiusmodi reculas causæ Theologiæ annectere. Si sermones hinc inde habitos, imò litteras ex variis orbis partibus à viris grauibz cõtra Iansenij doctrinam datas, luberet typis mandare, infiniti simus. Sed quid, amabo, mysterij est, quòd distinctis characteribus expressi sint illi, quos dicitis, sermones: an conceptis verbis consignarunt in manus fidi isti delatores, à quibus audistis, ut tam disertè, quasi ex publicis tabulis, apices singuli notarentur? ò studiosos homines & accuratos!

Dicunt tantum ut agi à Thesium auctoribus, ut Scriptores Societatis à Sempelagianis nota illis à

Iansenio in ipsa vindicet; atque nihil suffragetur os teste Typographo, qui id auctori pag. 21.

RESP. magnum scilicet erimen quod obicitur; zelus nimirum non secandum scientiam, quòd Scriptores suos voluerint purgare à nota hæreos. Sed aliter cum Iansenio pax fuisset, nisi hi læsi fuissent: hoc potrò nimis atrox piculum est. Vultisne ergo boni viri nobis ex officio incumbere, quidquid non boni vobilibet dicatur, aut scribitur, contra id calanum illud stringere? nam aliqui quid reprehenditis? Scitis certè, Theologi cum sitis, silentium in culpam deputari non possent, nisi ex officio loqui oporteat. Quamquã id dictũ non est Typographo illi. Negatis, à quo audiuit se memorat.

Arguunt à nobis dictum Thesium agere licitum studio indaganda veritatis pag. 22.

RESP. Quando id erunt, quòd sunt, sub Thesum scilicet forma, & norma, & in publica disputatione omnibus aduersariis inprimis, ad oppugnandũ proposita, licet omnino. Si Iansenio animus fuisset, aut fiducia, palam in publicâ literas suas agitandas proponere, fortasse vastum illum factum, Elephantino plurimorum annorũ partu in tenebris conceptum, formatum, & natum non haberemus. Sed cauit id sedulo peritus distimulandi artifex, ne, siue in publicis licet disputationibus, siue in priuatis colloquijs, vel per rimulam quidpiam percolaret, nisi forte coram vno alteroque Achate, iuxta amicitiæ leges arcanorum istorum particeps, & conficio.

Medie ætatis homines acri dente, & mordente strenuè remordet pag. 25.

RESP. Amorẽ & subtiliter. Nam medie ætatis homines si sileant, tum verò vobis impune licebit esse disertis: & non mordere tantum, sed deuorare Societatis homines poterit, qui volent: nam Tirones, & edentuli senes, quos manifestiores prædicatis, meritò non sunt petimelotũ. Cùm ab hæresi se defendunt mediæ, quos dicitis, ætatis homines, nõ sunt transgressi, si nescitis, Societatis sanctæ regulas sanctas, sed ad vnguẽ se iis cõformant: norũ ipsi, ac Superiores eorum legitimi vtique regularum suarum interpretes.

Iansenio obiectũ erat, quòd numquã Philosophiam, aut Theologiam scholasticam professus receptam doctrinam aggressus esset conuellerè. Opponent P. Argemont Coninck & P. Lessium quorũ hic titulum minus principalis fuerit, ille Philosophiã numquã docuerit pag. 27.

RESP. Peritè omittunt Theologiam scholasticam numquam docuisse Iansenium, (ve habet obiectio, quam enerrare contendit,) nam alibi opponi non potuissent P. Coninck & P. Lessius, quamquam hunc, quòd ad Philosophiam attinet, ita scire poterant docuisse per septennium partem minus principalem, ut per collegam suum, cui lectiones, quas paratas habebat, tradidit, magis principalem complexus sit, ut refertur Vita eius cap. 3. ex quo, ut apparet, illi didicerunt philosophicam illud Lelij septennium.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

APPENDIX

A D

THESES THEOLOGICAS

A POLOGETICAS

ADVERSUS ea quæ rescribuntur à Iansenij Patronis in Querimonia tertia Zegeriana.

I. DE STATV PVRÆ NATVRÆ.

DICUNT Ianseniani patroni à nobis carpi Iansenium, quod gratiam primi hominis aliquo modo naturæ innocenti, qualiter in Adamo condita est, debitam esse dixerit. si enim debita est, inquit, quomodo est gratia? pag. 52.

RESP. Ita est, dicimus certè, cum omnibus hæcenus Theologis, & SS. Patribus, qui huius rei meminerunt, vt patet ex *Thesum nostrorum* cap. 2. art. 1. & fatemur hæc à nobis intelligi non posse; gratiam esse, & debitam esse: nam omnis vera gratia est supernaturalis, hoc est supra naturam; atqui quod est debitum naturæ, non est supra eam, est enim illi conueniens, ergo quod est debitum naturæ, non est gratia. adeo vt in ipsissimis terminis aperta contradictio sit, debitum esse alicui, & esse supra naturam eius.

Sed obiectionem istam, inquit, vt pleraque omnia, quæ regerunt in ipsum, occupauit Iansenius. ibidem.

RESP. Vt aliquid concedamus bonis istis Patronis, ita est, occupauit, sed cum addito vt pleraque omnia: nam planè ad aliorum normam hic se manifestâ contradictione inuoluit; ecce locum eius qui allegatur ex lib. 1. cap. 20. de statu puræ nat. *Gratia est* (iustitia originalis) præueniendo voluntatem ordinandi creaturam ad finem supernaturalem; debitum vero illam voluntatem supponendo. Si creatura rationalis considerari potest, vt præuenit voluntatem Dei, quæ eam ordinat ad finem supernaturalem, ergo iam potest non ordinari ad dictum finem (quod tam exaggeratè negat Iansenius tribus integris libris) & consequenter condici sine gratia, & iustitia originali: si autem non possit condici sine ea, vt vult Iansenius, necesse est, vt gratia voluntatem illam

ordinandi ad finem supernaturalem semper supponat, ac semper sit debita, adeoque gratia iam non sit gratia. Adde, etsi sub sexcentis formalitatibus gratia possit considerari vt non debita, nempe vt qualitas est, vt spiritalis est &c. si sub vnica tantum sit absolutè & simpliciter debita, iam simpliciter debita est, ita vt negari non possit, esse debitam; sicut negari non potest hominem esse rationalem, etsi sub aliis formalitatibus, animalis &c. considerari possit.

Nullum est simile sumptum à gratia sufficiente, quo vitur ibidem Iansenius, & insinuant eius Patroni; quod illa similiter non sit debita præueniendo voluntatem diuinam ordinandi hominem ad finem supernaturalem, sit autem debita illam voluntatem supponendo; nullum, inquam, est simile: quia potest præueniri ista voluntas Dei, cum possit simpliciter creatura non ordinari ad finem supernaturalem, & ante, & post lapsum in sententia omnium, quos Iansenius impugnat. Quem admodum igitur destinatio ad finem supernaturalem est absolutè, & simpliciter gratuita, & naturæ indebita, ita media ad illum finem consequendum, id est gratia sufficiens est simpliciter gratuita & indebita, etsi sub hypothesis ordinationis ad istum finem; & præcepti ad illum tendendi sit aliquo modo debita: prorsus sicut ipsa gratia sanctificans, & gloria bonis iustorum meritis promissa, est simpliciter gratia etsi debita (siue ex iustitia, siue ex fidelitate) ex suppositione promissionis diuinæ, quod hæc, & illa vt præmium & merces sint bonis operibus retribuenda.

Mirum est ab Aduersariis hic produci D. Tho. quod cap. 52. lib. 4. contra Gent. vocet iustitiam originalem quodammodo naturalem: nam

A nam

THESES THEOLOGICÆ.

2

nam ipsissimo illo loco expressè pro nobis facit. alligno verba: *Vitium originis . . . provenit ex defectu alicujus principij, sicut gratia domi, quod natura humane in sui institutione suis collatum, quod quidem modò quodammodò fuit naturale, non quasi ex principis natura causatum, sed quia sic fuit homini datum, vt simul cum natura propagaretur.* Iuxta hunc sensum habes etiam explicatam phrasim Cælestini, quam ibidem adferunt. Cæterum vide mentem D. Thomæ irrefragabiliter explicatam in *Thest. cap. 2.*

art. 1. imò & in hoc ipso loco contra Gentel citato.

Quis porò Iansenio aut eius fautoribus dedit, quod ibidem assumunt, sine gratia sub-
sidiis hominem necessariò miserem esse omnibus creaturis, vel in omnibus creaturarum cupiditatibus tabescere sine culpa, & pena. sunt hæc ab omni ratione alienissima. Fuisset in statu potestaturæ providentiæ diuinæ auxiliium ordinis naturalis isti statui conueniens, quo potuisset homo finem suum naturalem consequi.

II. DE ORATIONE CHRISTI.

Afferunt iidem patroni ob verba S. Prosperi datas esse manus veritati & Iansenio, quod Christus minus propriè dicatur mortuus pro reprobis. Exigunt demde, vt manus demus, & fateamur Christum propriè non orasse pro salute reproborum, quia id requirat auctoritas S. Augustini in c. 17. Ioan. & sententia D. Thomæ 3. p. q. 21. ar. 4. Pag. 24.

RESP. Fallunt & falluntur Ianseniani: ex eo enim quòd dictum sit Christum minus propriè mortuum pro non electis, id est non efficaciter, malè supponunt non propriè fuisse mortuum pro illis, & inconsequenter inferunt non propriè pro iisdem orasse. Nec verò Iansenio hic manus dare quispiam potest; nisi id agens, Maldero iudice, admittat errorem propriè grauem & anti-Christianum, cum Turcis Christum pro vilo esse mortuum neget, & eiusdem cum Caluino & Beza blasphemiam reus fiat. V. Malder. citat. in Thesibus nostris c. 2. §. 6. Reuerentur Prosperum, quem vtinam ipsi Aduersarij iuxta ac nos reuerentur. agnoscimus eius auctoritatem: sed aliud ea non postulat, quam vt fateamur Christum non id impetrasse mortem suam reprobis, quod electis. Aliud si exigitur, ipse sibi Prosper contradicit, qui lib. 2. de Vocatione gentium c. 16. inculcat *proptus pro omnibus mortuum esse Christum*, & ex huius virtute datam omnibus absolute gratiam sufficientem. lib. 2. citato à c. 19. ad vsque libri finem, de quo V. *Theses apologeticas §. 1.* Eadem constantia quâ Christum pro omnibus mortuum, pro omnium etiam salute orasse profitemur: agnoscimus enim & audimus cum alijs Patribus inclamantem Athanasium

lib. de Incarnat. Christi contra Apollinarum In eo (cum Patri Christus commendat spiritum suum) omnes homines apud Patrem deponit ac commendat. Nec his repugnat D. Augustinus in c. 17. Ioan. vt summum enim ibi docet, Christum ibidem, cum singularem erga Apostolos declararet affectum, pro his peculiariter, & non pro reprobis orasse salute. Quamquam nec hoc ille intendit, cum oppositum pateat ex cap. citat. v. 20. & 22. vbi Christus rogat vt omnes fideles simili vnitatem coniungantur Patri æterno, quâ ipse hinc articulo sumè copulatur. Quòd si verò constat Christum pro omnibus fidelibus sub ratione predictâ orasse: ne quidem verosimile est D. Thomam nobis repugnare, præsertim cum apertè testetur. 1. Deum velle omnes homines saluos fieri. 2. pro omnibus esse mortuum. 3. dari omnibus ex Christi meritis gratiam sufficientem ad salutem, vt in Thesibus demonstratum est: si enim admittat mortem pro omnibus à Christo toleratam, quæ est efficacissimum orandi genus; quid ni & pro omnium salute orasse, prout pluribus locis innuit Scripturæ? Quæ in oppositum vrgent Ianseniani, tantum probant Christum non efficaciter pro omnium salute orasse, vt manifestè colligitur ex corpore articuli, vbi dicitur: *Ideo omnis absoluta voluntas Christi, etiam humana, fuit impleta, quia fuit Deo conformis: & per consequens omnis eius oratio fuit exaudita.* Nempe absoluta & efficax, de quâ solâ hæc agit D. Thomas; quod non obstat quò minus ineffaciter pro omnibus orarit.

III. DE GRATIA SUFFICIENTE.

Dicunt auxilio suo sufficienti nihil omnino S. Thomam auxiliari cause nostræ: Nos enim auxilium plenum & sufficiens dari contendimus: S. Thomas verò & Thomiste, præter auxilium illud sufficiens, requirunt efficax, quod non tantum det posse, sed operari; & hoc euidenter sequitur ex physica prædeterminatione. pag. 53.

RESP. Non minus D. Thomam, quam innumeròs SS. Patres & Scholasticos per tot sæcula (de quo non laborant Ianseniani) nobis in hac causâ suffragari, arguunt hæc quæ ille habet I. 2. q. 106. ar. 2. ad 2. vbi ait 1. eum, qui post acceptam noui testamenti gratiam peccat, esse maiori pœnâ dignum. 2. maioribus beneficiis

beneficii ingratum. 3. auxilio sibi dato non videntem. 4. quod lex noua, quantum de se est, sufficiens auxilium det ad non peccandum. His addit in i. ad Cor. c. i. lect. i. Deum, quantum in se est, vocatis dare ea per quæ venire ad eum possint. An expressius mentem suam de gratia sufficiente Angelicus Doctor exprimere potuisset? Quid est enim nos iam grauius peccare, esse magis ingratos, nos non vti auxilio dato; quid est per legem nouam dari auxilium sufficiens ad non peccandum, quam id quod cum communi Ecclesiæ sensu profitemur, dari gratiam sufficientem, quæ cum non sortiatu semper effectum, necesse est distincta sit ab efficaci? *Sed opponunt Ianseniani aliud auxilium statui à Thomis, aliud à nobis.* Quid hoc ad controuersiam principalem pro Iansenio, qui ingeminat Pelagianum esse auxilium omne sufficiens distinctum ab efficaci? cuius oppositum ita constanter cum S. Thoma tuentur Thomistæ, vt sententiam suam tanquam certissimam ab omnibus Theologis admitti assument, eamque ab omnibus discipulis S.

Thomæ propugnari. *De quo V. Theses c. 2. ar. 8. in Academia Louanensi. Quin & Aluarez ipse (quem pro se Aduersarij allegant) disp. 79. conclus. 3. non obstante naturâ gratiæ efficaci, asserit auxilium ab eâ distinctum esse verè sufficiens. In hoc ergo D. Thomæ & Thomistæ suffragantes habemus, vt non magis Pelagianismi argui possimus quam illi & Catholicæ toto passim orbe Academia. Sed iniquissimam accusationem fouere malunt Ianseniani, vt suo in omnibus patrocinentur Iansenio. Quid quod gratiam merè sufficientem P. Thomas Leonardi, studij generalis Ordinis PP. Prædicatorum Regens primarius, vtique secundum mentem D. Thomæ aliorumque, in thesibus Louanij publicè propugnatis anno 1635. 12. Martij, ita describat thesi 9. *Efficax gratia & sufficiens non differunt essentialiter; potestq; eadem gratia vni solum esse sufficiens, que in eodem gradu existens alteri melius disposito esset efficax.* Ad idem thesi 8. *physica prædeterminatio gratiam sufficientem non destruit.**

IV. DE LIBERTATE.

Libertatem à Iansenio explicatam per omnia congruere cum Tridentino confidenter vrgent Ianseniani. 1. quia S. Prosper (qui à Concilio citatur ad marginem sess. 6. cap. 5.) aperit docet lib. 2. de vocatione gentium c. 28. gratiam collatam, quod ea mutabilitatem voluntatis non auferat, abici posse in sensu diuino, quem proinde Concilium tantum intendit. 2. Quia in eundem sensum Sotus lib. 1. de natura & gratia c. 16. Concilium, cui ipse interfuit, exponit. 3. Quia non rapit Deus secundum Iansenium impetu effreni & irresistibili voluntatem, prout hæretici fingunt: in quem finem varia ex Luthero proferunt loca. 4. Quia Suarez prologo. 1. de gratia c. 5. docet stante indifferentia intellectus, duplici concursu impelli posse voluntatem; altero necessitante, altero molliori quo non eueritur libertas. pag. 60. 61. 62. 63.

RESP. Nullum pro Iansenio ex his peti præsidium: nam ipsum Concilium disertè illi aduersatur: quod sess. 6. cap. 5. expressè ait: Tangente Deo cor hominis, inspirationem illam recipiens abicere potest, quod tradit Concilium, vt ostendat nos gratiæ, quæ vocamur & conuertimur, liberè assentiri: hoc enim negabant hæretici. Eundem in sensum ait can. 4. *Liberum arbitrium Deo excitanti atque vocanti posse dissentire si velit.* Causa igitur ex mente Concilij, cur liberè assentiamur inspirationi, est; quod, dum vocamur, excitanti Deo dissentire possimus: quo designat tunc dari indifferentiam ad oppositum, quod negat Iansenius. Nec ad

rem facit aut scopum Concilij, quod obmutabilitatem suam voluntas eam postea abicere possit: inde enim non arguitur libertas pro eo instanti, quo ponitur consensus. Vnde

RESP. AD I. Iansenio nihil omnino S. Prosper patrociniatur; imò verò reptignat: quia non citatur ad marginem Concilij, vt ex eo probetur mutabilitas voluntatis quæ post consensus potest gratiam abicere; (nihil enim ad scopum Concilij id attinebat) sed quia c. 28. & 29. veram pro eodem instanti indifferentiam ad consensus & dissentium agnoscit, ob quam Concilium declarat nos liberè consentire. Porro caput illud 28. sic inscribit: *Possit eos, qui gratiâ Dei in Christum credunt, non credere &c. In quem finem ait: Quem admodum illi (qui iam crediderunt) in sua habent potestate vt exeant; ita & isti (qui iuuantur vt credant) in sua habent potestate ne veniant: sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur; qui non veniunt, suâ pertinaciâ reluctantur.* Quid verò est aliquem habere in suâ potestate ne veniat, quid alium suâ pertinaciâ reluctari, nempe Deo vocanti, nisi instructum esse indifferentiâ ad opposita? quod quia Concilium intendebat, Prosperum citauit. Eandem hic indifferentiam sub initium capitis significat his verbis: *collatam gratiam nemo negligeret;* sic enim arguit inconstantiam voluntatis, vt asserat collatam gratiam necessariam ad perseuerandum negligi, adeoque

que tunc gratiæ dissentiri. Similia habet c. 29. sub initium.

RESP. AD SECVNDVM. Æquè parum Iansenio fauet Dominicus Sotus: nam is lib. supra citato c. 15. apertè sic ait: *Neminem coactu Deus aut necessitate ad se trahit: sed in nostrâ est potestate gratiam eius respicere.* Deinde exponens ibidem libertatem, ait: *Ea est immunitas à necessitate, siue (vt antè) opponitur coactioni & necessitati.* Et hæc, quia naturalis, permanet post peccatum. Post hæc c. 16. causam liberam sic definit, *que positis omnibus requisitis ad agendum potest agere & non agere.* Quibus omnibus indifferentiam ad vtrumque manifestè Sotus admittit ex mente Concilij: prædicta autem omnia sic inscctatur Iansenius, vt indifferentiam eam clamet diametraliter gratiæ repugnare, tomo 3. lib. 7. c. 14. Ex quo patet Sotum, cum neget sine indifferentiâ ad oppositum stare libertatem, ex sensu Concilij Iansenio repugnare.

RESP. AD TERTIVM. Non videtur doctrina Iansenij à doctrina Lutheri aut Chemnitij distingui: nam Lutherus, quâ ratione mala fiant, sic exponit lib. de seruo arbitrio. §. Alterum Paradoxon: *Homo cum vacat spiritu Dei non quidem violentiâ, velut raptus obrorto collo, nolens facit malum sed sponte, & libenti voluntate facit.* Verùm hanc libertatem non potest suis viribus omittere. Quomodo verò, bonum velimus, sic paulò post exponit: *Per spiritum Dei voluntas iterum merâ libentia, & pronitate, ac sponte sua vult & facit, sed pergit volendo, & lubèdo, & amando bonum, sicut autè a voluit, & lubuit, & amauit malum.* Et infra: *Idè, facimus volentes & lubentes pro natura voluntatis, que si cogeretur, voluntas non esset.* Huius interpres Chemnitius in examine Trid. c. 2. sic ait: *Gratia operatur non vt conuersio sit brutum aliquid in homine sine motu, actione aliqua mentis, voluntatis & cordis; nec est violentum aliquid sicut cum saxum impellitur. . . . In summa*

in conuersione oportet fieri motus aliquos, & actiones, mentis intelligendo, voluntatis assentiendo: Spiritus enim sanctus facit, vt velimus & possumus intelligere, assentiri, accipere, operari. Et infra: *Certum est conuersionem non fieri sine aliquo motu & actione mentis, voluntatis, & cordis.* Et post multa: *Quando Spiritus sanctus cepit naturam sanam, tunc nec mens nec voluntas est otiosa, sed aliquos habet nouos motus, quos etiam debet exercere. . . . Non enim ita operatur Spiritus Dei in voluntate hominis sicut lapides voluuntur, & inanimata implentur, ita vt in spiritalibus mens & voluntas rapiantur sine motu aliquo mentis & voluntatis intelligente & voluntario: Scriptura enim disertè affirmat, renatos in spiritalibus scire, credere, despicere, &c. qua extra controuersiam sunt actiones mentis & voluntatis.* Hæc ille omnia sic fieri admittit, vt homo simul ex cognitione ac deliberatione & iudicio procedat, vt euidenter patet ex initio capituli, & horum omnium sensum multis probat ex Augustino. Ex quibus patet non alium ibi à Luthero & Chemnitio impetum effrenem & irresistibilem gratiæ stans, quàm eum quo necessariò rapiatur voluntas sublatâ tunc indifferentiâ ad oppositum. Hæc omnia sic admittit Iansenius, vt solam coactionem asserat repugnare libertati. Quodnam ergo inter eos hic doctrina discernitur?

AD QVARTVM RESP. Immeritò omnino Suarez adduci in patrocinium Iansenij: nam etiâ ille de potentia absoluta (de quo iam non est vlla controuersia) concedat voluntatem sublatâ libertate determinari posse; numquid tamen eâ stante concedit sic de facto impelli, imò nec impelli posse, quin cum eo impellatur etiam posito componi queat non actus. Et hæc ratio est, cur tam acerbe eum trahebat Iansenius: quod minimè fecisset, si cum perfectâ determinatione ad vnum veram stare libertatem Suarez docuisset.

V. DEVS IMPOSSIBILIA NON IVBET.

DICUNT I. multos auerti à Iansenio per indiculos, & Theses publicè ac priuatim impressas; in quibus dicatur eum docere, quòd Deus impossibilia hominibus lapsis præcipiat. 2. Falsum id esse, si absolutè impossibilia intelligantur: sin autem, posse secundùm omnes suas circumstantias coram Deo impleri sine gratia Dei, ad Heresim Pelagij pertinere iuxta Augustinum. 3. S. Thomam, & Thomistas, nominatim Ferrarientem idem docere. 4. Frustrâ nos conuerti improbari à Iansenio sententiam ex epist. ad Demetriadem, cum ista epistola Pelagij sit, & sententias contineat, quas improbat Augustinus. pag. 53.

RESP. AD PRIMVM. Indiculos, aut Theses

priuatim impressas, nullas nominamus, palam in luce ambulamus: alio exemplo, quàm si, qui hæctenus, quoad possunt, sub alieno nomine delitescunt, si bonæ causæ aduocati sint, predeant, & subscribant nomen suum, ne aliis nihil sit huiusmodi patrocinium, iuxta Belgicarum Curiarum, & aliarum laudabilem præxim. Quamdiu pergent in scenam producere conuenientem Theologica lingua Typographum idiotam?

AD SECVNDVM. Audite Theologi, res magnas docebimini, si fortè nescitis, falsum esse Deum absolutè impossibilia præcipere, id est non præcipere Chimæras, & Hircocænos formatas.

formare, ire versùs Oriètem, & simul non ire. credimus, verùm sat nostis, qui hæc dicitis, quid agatur: nimirum an verum sit illud Me-lanthonis ad cap. 4. Epist. ad Rom. *cùm mandat lex diligi Deum, perinde impossibilia iubet, acque si precipiat nobis transuolare Caucazum.* hoc certè non est absolutè impossibile. hoc, inquam, est quod agitur; non autem illud, quod simulatis, an possint præcepta semper impleri secundùm omnes circumstantias sine gratia Dei. istud non quaritur; sed an utcumque possint, etiam cum gratia vos dicitis etiam iustificatis id esse hic & nunc impossibile, quoniam gratia sine qua id non possunt non semper adest, dicitis, inquam, si à Iansenio statis, qui disertè ait: *impotentia implendi præcepta reperitur etiam in iustis, qui & fidem Christi, & charitatem iustitie suscepunt.* tom. 3. col. 326. Nos contra asserimus, cum gratiâ præcepta impleri posse. pro quo à nobis itant cum D. Augustino omnes SS. Patres, atque imprimis Trident. sess. 6. cap. 11. Vid. Thes. cap. 2. art. 12. cap. 3. art. 6. cap. 4. art. de liberi. cap. 5. par. 11.

AD TERTIVM. negamus id docere D. Thomam, aut Ferrariensem. negamus, ut oportuit, à vobis citatos, ipsi se eodem loco disertè explicant. Docet imprimis D. Tho. ad aliquod momentum (id est, ad breue tempus) ab aliquo peccati actu particulari posse (hominem) abstinere propriâ potestate. iam addite, quæ omisit verba Ferrariensis in continuo contextu: *pater secundo, quod non obligatur homo ad impossibile, propter hoc, quia vnumquodque peccatum secundùm se acceptum vitare potest, & ideo si illud committit, voluntariè peccat.* quod non minus clarè ibidem dixerat D. Tho. atque ad eum modum se res habet, quo in venialibus, quæ sine speciali priuilegio (quod soli Virgini concessum) totâ vitâ vitari non possunt iuxta Trid.

sess. 6. can. 23. præterea D. Tho. ibi tantum agit de homine existente in statu peccati, eoquè non præuento per gratiam, quam liberè peccando impedit; non autem de iustificato, de quo vos cum Iansenio. Audite si placet D. Tho. loquentem in fine cap. 159. immediatè præcedentis id quod à vobis citatur, si illud fortè non legeritis. *Deus, inquit, quantum in se, paratus est omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines saluos fieri. . . . sed illi soli gratiâ priuantur, qui in se ipsis gratiæ impedimentum præstant: sicut sole mundum illuminante in culpam imputatur eis, qui oculos claudunt, si ex hoc aliquod malum sequatur, licet videre non possit, nisi lumine solis præueniatur.* quid clarius? Aluarè locus, qui etiam adducitur nihil ad rem: quis enim negat homini imputari, quod gratiam non habeat, quæ se peccando priuauit, non ita tamen quasi nouum peccatum sit ab illo, quo gratia perditæ est, nisi hic & nunc obligatio sit recuperandi gratiam.

AD QVARTVM. Pelagij illam esse epistolam quid opus erat probare? quis enim negauit? sed sententias illas: *Adscribimus iniquitatem iusto, pio crudelitatem, dum Deum impossibile aliquid præcepisse conquerimur. &: nec impossibile aliquid voluit imperare, qui iustus, nec damnaturus hominem fuit pro eo, quod vitare non potuit, qui pius est.* Has, inquam, sententias improbari meritò conquerimur: sunt enim ipsiusmet Augustini & Basilij in terminis & tot aliorum Patrum, quos habes Thes. cap. 2. art. 12. est ipsissima Catholica veritas à Concil. Trid. definita. quare in hoc Hæreticus non est Pelagius. Imò à Pelagianismo vindicat ipsi Pontifices, qui dânarunt hanc propositionem: *Definitiuè hæc sententia: Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagij sit.*

VI. DE IGNORANTIA INVINCIBILI.

Quæ de ignorantia inuincibili habent pag. 57. refutata sunt Thesi apologetica 6. Additur hic auctoritas Estij. sed primò negatur ipsum docere id, pro quo eum citant: nam hinc inde argumenta proponendo, & soluendo, rem in medio indeciam relinquit. Demus deinde, quod ita sentiat, quid vnus aut alter momenti adferet (presertim vbi ratio illi nulla suffragatur) contra torrentem omnium aliorum Doctorum, qui de ignorantia iuris naturalis, & positivi, seu facti indifferentè loquuntur: quod nimirum, si planè inuincibilis sit, tollat voluntarium quoad rationem peccati, quæ supponitur esse incognita, adeoque non voluntaria. Caput per tuas 3. de Simonia

nihil ad rem facit, cùm ibi spectetur forum externum, in quo præsumptioni est locus, & casus qui ibi tangitur, tantum sit Simonia iuris positivi. Adrianus (quem credo alienis oculis lectum adduci) illo ipso loco disertè vobis aduersatur: inter cetera sic ait: *Lege natura tenemur nos non occidere, & vitam nobis seruare. . . . nec ignorantia illius, nisi inuincibilis, excusat à peccato.* Caietanus denique, qui etiam adducitur, implexam & obscuram dissertationem sic concludit: *Scito quod in hac difficultate multo tempore sui non resolutus, & ideo vagè scripsi, sed nolui mutare iam scripta propter exercitum.* numquid hoc est dubios, & obscuros textus hinc inde corrâdere, ut aliqua species patrocini

Iansenio possit suffragari. verum etsi vobis auctoritates irrefragabiles suppetere, quo pacto purgatis Iansenium, quod communis

nam Doctorum sententiam de ignorantia inuincibili excusante à peccato Pelagianismo accenseat: Vide Theſ. cap. 2. art. 13.

VII. DE OMNIBVS IN DEVM REFERENDIS.

Dicunt infamari à nobis illud Iansenij dogma, Nulium omnino fieri posse opus bonum, hoc est sine peccato, nisi in Deum propter se dilectum referatur. deinde addunt hac ratione probari à S. Augustino, omnia opera infidelium esse peccata. pag. 66.

RESP. Merito improbamus dogma illud, ex quo toti antiquitati contrarium sequitur, nullam esse virtutem, nisi ex motiuo charitatis, hoc est, nisi charitatem, atque actus omnes alios vera esse peccata. merito improbamus propositionem in ipsissimis terminis à duobus Pontificibus damnatam, quod omnia opera infidelium sint peccata. Quod addunt Iansenianam istam sententiam apud animas pias in praxi esse, que docentur, & student actiones omnes suas expresse, aut virtualiter ad Deum referre: ineptissima ad propositum consequentia est, similis huic: Docentur qui perfectioni student sequi Christi consilia, ergo peccant, qui non sequuntur, etiam ab omni vinculo soluti. At D. Thom. inquit, non consilium tantum, sed præceptum vocat, referre opera sua in Deum. ita fit, sed non ideo semper per charitatis actum: nam multis alijs mo-

dis referri in Deum possunt; hoc imprimis, quia Deus nobis bonus est, quem bonis actibus, ut finem vltimum à nobis possidendum consequi cupimus: hic autem est concupiscentiæ amor, quem Iansenius vitiosum, & peccatum vocat. Deinde virtuali solum, imò habituali dumtaxat relatione contentus est, ut à peccato excuset. Cum Estium etiam adducitis, quare non eadem opera traditis, illam, illo ipso, quem citatis, loco contra Iansenium negare præceptum esse iuris naturalis, negare infideles illo obligari, negare opera omnia infidelium esse peccata, quod vos ex Ianseniano dogmate consequens dicitis. Docere subterre relationem in Deum virtutalem que quam variam patiatur explicationem, norunt Theologi. ipse certe Estius, & D. Thomas cum habituali subinde confundunt. quin & ipsi vos virtuali illa relatione contenti estis, nec opus esse actu cogitare de Deo, ergo nec actualiter illum amare, ergo opus aliquod bonum esse, quod non sit motiuo charitatis actu informatum. O si ita benignus fuisset Iansenius!

VIII. DE ATTRITIONE.

Negant 1. Iansenium docere contritionem perfectam, ut ab attritione quacunque distinguitur, necessariam esse ad peccati mortalis cum Sacramento remissionem. 2. dicunt ex mente eius sufficere actum amoris Dei imperfectum, per modum infirmæ & simplicis complacentiæ, qui deleat peccatum cum Sacramento, non autem sine eo. 3. dicunt id tradi à Trid. sess. 6. cap. 6. 4. querunt, quâ fide Theſium auctores tribuant Iansenio hanc propositionem, à Pio V. damnatam: Omnis amor creature rationalis aut vitiosa est cupiditas, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ Deus amatur. pag. 65.

RESP. AD PRIMUM, non satis versati videntur in suo Iansenio, qui id negant, aut prudentes dissimulant, quod sciunt: nam manifestum est id docere Iansenium, quod illi negant: ille pro se loquatur: Vniuersa, inquit, Concilij Trid. doctrina de iustificatione clamat, veram contritionem... verum peccatorum odium, ac detestationem, veram non peccandi voluntatem, veram iustitiam (id est iuxta eum Dei) dilectionem iustificationem quamlibet antecedere debere. tom. 3. col. 592. antè vocauerat veri nominis, & rationis contritionem.

Si quamlibet iustificationem præcedere debet vera contritio, ergo & eam, qua fit in Sacramento, rursus ille: Fallitur quisquis putat per Sacramento penitentia effectum esse, ut iam duplex sit iustificationis modus, vnus per contritionem, alter per illam attritionem, qua solo peccatorum timore de peccatis dolet, sed vnus & idem semper est, & fit iustificationis modus per dolorem de offensione Dei. tom. 3. col. 593. Subsume: atqui ante iustificationem Sacramenti penitentia modus iustificandi fuit per veram contritionem, eamque efficacem, ergo & modò est in Sacramento, iuxta Iansenium. fatin probatum est non rectè à Ianseniano intelligi Iansenium: plura si cupis adi tom. 3. lib. 5. cap. 33. & 34. quod autem ibi insinuet quædam esse contritionem veri nominis & rationis & essentia (ex motiuo scilicet charitatis cum detestatione peccati, & proposito non peccandi de cetero, cum spe veniæ, quæ tamen non nisi cum Sacramento ad iustificationem accipiendam sufficit, more suo facit quod non satis coherenter loquatur: id nos non moramur viderint eius aduocati, quo pacto concilient.

AD SECUNDUM. Licet amorem Dei simplicis con-

eis complacentiæ Iansenius admittat (vti & Theologi omnes qui proinde frustra ad rem euidentem demonstrandam allegantur) nisi quam vel in speciem dixit sufficientem dispositionem esse ad iustificationem in Sacramento baptismi, vel penitentiae, sed vbiq; & merito requirit odium efficacis peccati, propositum non peccandi de cetero, cum spe veniæ. quæ profecto infirma & simplex complacentia non inuoluit. Ianseniani ergo Magistro suo grauius hic aberrant: certum est enim ex euidenti Tridentini doctrina ad iustificationem, etiam in Sacramento, obtinendam requiri actum efficacem, qui omnem peccati mortalis affectum excludat. certum est rursus infirmam ac simplicem complacentiam huiusmodi affectum non excludere, nec esse amorem Dei super omnia, vt Iansenius ipse fatetur, quare certum est non sufficere ad iustificationem, etiam cum Sacramento neque Theologorum vllus ita hæcenus docuit.

AD TERTIVM, non describit ibi Tridentinum infirmam ac simplicem complacentiam, sed actum efficacem, ac feruum, qui odium ac detestationem peccati gignat: enumerat autem varios gradus penitentiae, ex quibus omnibus, vel etiam singulis, à timore diuinae Iustitiae ordiendo, possit sequi huiusmodi odium. & ne de Concilij sensu dubium esse possit audi sess. 14. c. 4. *Illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati confu-*

deratione, vel ex gehenna, & pœnarum metu communiter concipitur si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat non solum non sacre hominem hypocritam, & magis peccatorem; verum etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsam. quid clarius dici possit? quare oraculum hoc, ne in libro suo videretur cauens Iansenius, industriè transiit hoc modo describens dictum locum: *Illam veram contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur &c. declarat esse donum Dei &c. tom. 3. col. 591.*

AD QUARTVM, non illa propositio tribuitur Iansenio sed hæc: *Non datur medium inter charitatem, & culpabilem cupiditatem. Si non est dilectio, id est amor incommutabilis veritatis, siue Dei, iam est cupiditas. Omnis amor creaturæ est improba cupiditas, hoc ipso autem, quo retorquetur in Deum, est laudabilis charitas.* Quæ quantum ab illa discrepent, vel cum ea conueniant lectoris arbitrio relinquatur. Quare (vt eorum verbis vtat) viderint, qua fide boni Iansenij aduocari dicant à nobis tribui Iansenio istam propositionem. Fatemur tamen has memoratas non multum discrepantes tribui: nam quid, obsecro, discriminis est: numquid imperfecta illa complacentia est laudabilis charitas: numquid per Spiritum sanctum in corde diffunditur: numquid eâ sic in corde diffusâ amatur Deus: quid ergo illi complacentiæ deest ex omnibus, quæ damnata propositio continet?

IX. DE MOTIBVS CONCVPISCENTIÆ.

DECVNT I. ab amico admonitos se quod Theodorum Rapsodi imponant Iansenio Hæresim Lutheri, Calumi, Chamieri, motus concupiscentiæ indeliberatos esse peccata contra Patres Tridentinos sess. 5. quæ inuidiâ immeritò oneretur Iansenius. 2. modestiam suam, & Christianam charitatem deprecant, qua religiofos humilitatem, & pudorem doceant.

RESP. AD PRIMVM. Non ita se res habet, legatur Theol. cap. 4. §. vltimus in fine, & cap. 5. parall. 17. in quibus nihil aliud, quàm ipsissima Iansenij verba annumeramus, huiusmodi: *per præceptum non concupisces ipsi motus concupiscentiæ intelliguntur prohiberi; ideoq; illud præceptum solum in celo est complendum, & huius vitæ iustitiam tunc persicimus, quando concupiscentiis, etsi tantum tantibus, non consentimus.* hæc eadem ponuntur cap. 3. art. 1. vbi ex principiis Iansenij cõsectarium hoc adiungimus, quod transcribo: Si præceptum non concupisces non nisi in celo compleri potest, atque huius vitæ iustitia est, concupiscentiæ non consentire: sentit ergo Iansenius motus etiam indeliberatos, & à

quibus consensus abest (quique tantum in celo cessabunt) illo præcepto esse prohibitos, iuxta propositionem 75. damnatam. Motus prauis concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitati prohibiti præcepto non concupisces; vnde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum non concupisces: quamuis transgressio in peccatum non deputetur. Secundum Iansenium verò etiam deputari debent in peccatum; cum iuxta eius principia excusari non possint à peccato; sic enim vniuersaliter loquitur: *si aliter facta sunt, quàm esse debuerunt, profectò nemo vera esse peccata dubitare potest, cum peccatum non sit aliud, nisi factum aliter, quàm esse debet, aut quàm vera sapientia (id est Deus) præcepit.* atqui motus indeliberati sunt tales, quia prohibiti præcepto non concupisces. sunt ergo profectò vera secundum Iansenium peccata; atque ita grauius nocent non consentientibus quod negat Concilium. Ex hoc, credo, intelligit quilibet, quàm frustra animosi sint pro Magistro suo Ianseniani: nihil enim dicimus aliud, quàm quod ipsemet Iansenius, & argumentando more scholastico

inferimus, sequi ex eius principiis motus omnes concupiscentiæ vera esse peccata: et si sciamus unâ cum auctore propositionū dānatarum à duobus Pontificibus, illum negare imputari in peccatum, ac proinde iuxta cum huius vitæ iustitiam tunc perfici, quando concupiscentiis, etsi tumultuantibus, non consentimus. quæ verba adversus frontem nostram (vt illi dicunt) non allegamus; sed ostendimus sincerè nos, & fideliter in citando procedere.

AD SECUNDVM. Egregio exemplo id scili-

cet probatur pauculis interiectis lineis: *Verba Iansenij, inquit, adversus frontem suam recitant cæci illi rapsodi. Theses vocant. Angie stabulum, sinerum, sepulchrum dealbatum, quod foris patet hominibus speciosum, intus plenum est ovis mortuorum. Theses infestas alia exempla eiusdem modestiæ alibi abundè suppeditant. O modestiam singularem! ô humilitatem & pudorem eximium! hæcine sunt quæ docere vultis Religiosos? atqui hi profitentur se nolle discere.*

X. DE VSV MATRIMONII.

Dicunt commixtionem inter coniuges extra spem prolis generande nunquam esse licitam. Quam sententiam vt certam, & ab Augustino doctam, in patrocinium Iansenij tuentur Ianseniani, & immeritò eam argui conqueuntur. pag. 15. & 16.

RESP. 1. Argui hanc doctrinam assument, non probant Ianseniani, suo more: nusquam enim illius mentio in Thesisibus, & has tantùm agnoscimus.

RESP. 2. Meritò argui potest ea vt contraria Augustino, & communi vsui Ecclesiæ admittentis certò steriles ad matrimonium: Augustinus enim Epistola 119. ad Editiam (& refertur c. 33. q. 5. can. Secundum verba) manifestè ait: *Deus imputat illi ad continentiam, qui cogitur debitum reddere, si alterius cedat infirmitati, ne in adulterium cadat.* ex quo loco Thomas Sanchez (quem in suum fauorem Ianseniani trahunt) l. 9. de Matrim. disput. 9. ait ex unanimi omnium consensu, tunc ex parte reddentis non peccari. Ex neutrà verò parte sæpè non peccari, probat dictus Ecclesiæ vsus, quæ immeritò omnes admitteret ad matrimonium, si omnis eius vsus ex unâ parte, quando abest spes prolis, foret illicitus. Quare ad propriam,

vel partis incontinentiam vitandam, vniuersim licitum esse vsum matrimonij docet cum communiori Theolog. sententia Pontius Legionensis lib. 1. de matr. c. 21. ex Chryostomo & alius, & lib. 10. c. 8. Pontio ex parte continentis Sanchez supra. Sed voluptatem eâ in matrimonio intendi, damnat (inquit Adnerarij) Augustinus. Quid hoc ad rem: id eone enim peccatur, si ad vitandum incontinentiæ periculum vsus adhibetur is, qui per se etiam tendit ad finem matrimonij? Quamquam non nisi excessum, eâ in voluptate reprehendi ab Augustino contendit Pontius supra, cum Almaino in 4. dist. 26. q. 1. quos sequitur Ioannes Sanchez Doctor Theologus disp. 23. in Selectis. Seposito ergo excessu censent illi suaderi, vt quis in eo vsu primariò voluptatem non intendat: non verò præcipi secundum Augustinum. Sed, demus id præcipi: non ideo concludes omnem matrimonij vsum extra spem prolis esse illicitum, quod vrget Iansenius. Quæ in huius fauorem de Sardanapalis, & Messalinis, & eiufmodi portentis commemorant Ianseniani, castius omittuntur.

XI. PELAGIANI ET CALVINISTÆ COMPARATI.

Hæretici propius ad Augustinum & veritatem in istâ controuersia accedunt, quam Pelagiani. Vnde verba & sententias quasdam S. Augustini erroribus istorum in speciem alludentes in hæresim suam rapiunt. . . . sed non ideo, quia hæretici veritati appropinquant, oportet ab ea refugere. Sic aiunt pag. 45.

RESP. Id eodè nempe dici hæreticos in controuersia de Gratiâ magis ad veritatem accedere, quia magis cum Iansenio conspirant. Hoc si ita est, etiam veritatem ipsam attigisse dicendi, cum in capitalibus his controuersis

discrimen inter illos & Iansenium non videtur posse assignari, & subsidia ex Augustino mutuata vtrique sint communia, nec minus Iansenius, quàm illi, videantur nonnullas propositiones à duobus Pontificibus damnatas propugnare. Nam hæretici. Concupiscentiæ vim mirificè extollunt, ab eaque volunt nos ad peccatum determinari. 2. Ex vi illius fieri, vt omnia infidelium opera sint peccata. 3. Ex eo capite nos tali gratiâ egere vt sanemur, cuius vsus non subit liberæ voluntati. 4. Gratiâ internam & bonum opus ita reciprocant, vt

ri, vt gratia data arguat positum effectum, & hic non positus non collatam gratiam designet. 5. Per gratiam quidem nos non cogi, ita tamen ad vnum determinari, vt pro tunc indifferencia ad oppositum auferatur. 6. Gratia efficaci sublatâ voluntatem per sufficientem non roborari, vt præceptum implere queat; adeoque tunc concupiscentiâ dominante necessarîo peccari. An non ea ipsa propugnat Ianſenius? an non vti Caluinus toto libro tertio sua ex Augustino contra Pighium, & alibi sæpè, ita ex eodem sua ille, ac similibus ratio-

nibus confirmat? Si ergo Ianſenius in his veritatem assecutus, quod Ianſeniani contendunt, ex eorum iudicio eandem perfectè attigere hæretici. Meritò ergo inculcant: Non idè, quia hæretici veritati appropinquant, (adde & assecuti) oportet ab ea refugere. At cur eos hæcenus auersati Catholici? Cur damnauit Tridentinum? An non hinc euidenter conficitur hæreticos non tantum hic non assecutos esse veritatem, sed longissimè ab ea recessisse, cuius oppositum volunt Ianſeniani?

XII. DE BULLA DVORVM PONTIFICVM ET MICHAELE BAIIO.

DICUNT I. *Propositum non fuisse Ianſenio, Propositiones huius à Pontificibus damnatas scholis & pulpitis reddere.* pag. 87.

RESP. Si ita est, quomodo supra xxx. ex illis, verbis vel iisdem vel æquiualentibus, variis locis (vt cap. 4. Theſium ostendimus) defendit: quorum non paucas dicit esse doctrinæ S. Augustini, & ipsius Catholicæ fidei fundamenta.

II. *Quosdam ex emulacione in Baium propositiones varias ex eius scriptis excerpſisse, & importunis Romæ sollicitationibus damnationem earum nisus extorquere: & cessisse importunitati Pium V. Pontificem.*

RESP. Si hinc inferre volunt propositiones ipsas immeritò fuisse damnatas, iniuriam faciunt Pontifici, qui testatur *eas stricto coram se examine ponderatas*, priusquam eas condemnauit. An autem hic vel ille eas docuerit vel non docuerit, quæstio facti est, & de propositionibus ipsis iudicium non mutat.

III. *Baium in Apologia sua conquestum fuisse: Quadrageſima circiter articulos, falso sibi impositos, de quibus nunquam cogitauerit.*

RESP. Esto, articuli aliqui vel malè intellecti vel falso fuisse impositi, tunc quidem in istis culpa vacasset Auctor: id tamen à iusta condemnatione non liberaret ipsas sententias. Quæ ne ex eius vel vera vel putata auctoritate latius serperent, iteratò fuere damnandæ, nequidquam interpositâ eius Apologiâ.

IV. *Dicunt Baium verba Bullæ, dicentis: Quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent &c. intellexisse sicut intellexit Ianſonius & Ianſenius: videlicet quòd sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus*

intento. Nec proinde post verba: sustineri possent, ponendum esse comma (,) cum in tota Bulla originali nullum sit comma, punctum vel interpunctio. Neque Pontificem ordinem verborum Bullæ à Baio in Apologia positum correxisse.

RESP. Baius in Apologia sua MS. verba prædicta sic ordinat: *quamquam nonnullæ aliquo pacto in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento sustineri possent*: Pontifex verò ea sic digere: *quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore & proprio verborum sensu, ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas &c. damnamus*. Aliter ergo ponit quàm Baius. Et quamquam in huius fortè solatium posuerit, quòd nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, non tamen ei dedit: quòd in rigore & proprio verborum sensu possint sustineri. Cur enim illas alioquin damnaret, aut erroneas, temerarias, scandalosas &c. esse definir? Est ergo post verba *sustineri possent*, ponendum comma, (,) (quod habet Bulla nostra Romæ impressa:) vt sequentia verba: *in rigore & proprio verborum sensu*, referantur ad voces sequentes *damnamus &c.* Nec adferri contra potest, in Bulla originali post dicta verba comma nullum haberi; nam vniuersa Bulla omni commate, puncto & interpunctio caret: vt in MSS. fieri consuevit. Sunt ergo interpunctiones ex impresso Romæ exemplari petendæ: vti & propositionum damnatarum numeri; qui in impressa Bulla ad marginem adiecti sunt; in MS. verò similiter desunt; sic vt & ex solis litteris capitalibus desumpti sint numeri illi qui in bulla nuper impressa sunt positi: quos proinde mirum non est, à numeris in Romana bulla positus, nonnihil discrepare.

XIII. DE DOCTRINA LESSII.

LESSIVS (inquit pag. 32.) Opus suum de Gratia, & libero arbitrio scripsit post illam Octavij Episcopi Calatini, & alteram Pauli V. prohibitionem.

RESP. Lessius Opus suum edidit anno 1610. Et testantur, quibus editum est, typi Plantiniani. Pauli verò V. decretum, quo de Gratia scribi vetuit, primùm, (quod scimus) in Belgio intimatum est ab Illustrissimo Legato Apostolico anno 1612. 4. Januarij; vt patet ex litteris ad Facultatem Duacensem eodem die Bruxella datis; vt testatur Syluius in 1. Partem Præfatione ad Lectorem. Quòd ante id tempus Decretum Pauli V. in Belgio fuerit intimatum, non deprehendimus. Ostendant, si possint, Ianseniani; quæretes Iansenio socium in pœna, Octavij Episcopi Calatini Nuntij Apostolici prohibitio huc non spectat; nec enim decreto suo vetuit ille ne quis de Gratia scriberet; sed Sixti V. auctoritate sub pœna excommunicationis omnibus interdixit, ne Lessij opiniones, quas sanæ doctrinæ articulos vocat, quispiam deinceps censuraret, vel hæreticas, suspectas, offensivas, vel periculosas esse affirmare præsumeret.

SED pernegamus (inquit pag. 88.) Sixtum V. propositiones Lessij sana doctrina elogio decorasse.

RESP. Penegetis etiam manifestam veritatem; quis eius, etiam agnitas, confessionem vobis extorquebit? Legite Bullam Episcopi Calatini Nuntij Apostolici Sixti V. iussu editam, & Ioannis Masij typis excusam anno 1588. 10. Julij; & cum in ea legetis dissensiones ortas fuisse Louanij super quibusdam sanæ doctrinæ articulis; respondete, qui illi fuerint, nisi Lessij sententiæ, quæ sola in controuersiam venerant, & ad censuram vocatæ erant.

REPLICANT: Aut Henriquez, aliq̃, scriptores manifestè mendaces erunt. Nam ille de Prædestinatione ex præmissis meritis scribens, ait sententiam illam damnandam esse nota temeritatis: & quemdam doctum, quòd in Academia Louanensi cum magno scandalo eam predicasset, re ad Sixtum V. delata, sustinuisse suæ temeritatis acrem reprehensionem.

RESP. An Henriquez (quamquam non de

Lessij, sed de Catharini sententiæ is scribit) de Louanienfi factò rectè informatus fuerit, merito ambigitur. Falli certè potuit. At non fallit Bulla Octavij, Lessij doctrinam manifestè defendens, & Louanij olim publicè affixa.

MARIANA (quem obicitur pag. 82.) libellus famosus est, à Societatis æmulis in lucem sub Mariana nomine protrusus: vt vel hoc conuincitur; quòd ex veris eius libris nuper contrariam doctrinam Ianseniani nobis obiecerint. Quòd de Eugenio Lananda adfertur, ex similibus fontibus haustu est. Quem huiusmodi commenta delectant, is plura id genus in Scioppio, Schlussemburgo, Riuero, Lunipero, Alphonso de Vargas, & similibus inueniet.

P. MARCVM TYMPELIUM (inquit pag. 11) sepe narratè audimus, quòd cum P. Claudium Generalem impellere statuisset, & conari in sententiam P. Lessij paulisper insisteret, monitum à Sacerdote R. P. Generalis ne apud hunc eius sententiæ mentionem faceret, aliàs futurum vt in apoplexiam, aut deliquium animi incidere. Idq̃ P. Marcum in Belgium reuersum narrasse P. Lessio, &c.

RESP. Veracior fuit P. Tympelius, quam vt ista narraret, & si viueret, facile illos narratores falsitatis conuinceret. Claudium Generalem numquam vidit Tympelius, imò nec Romam ante annum 1622. quò profectus est è Belgio 19. Octobris, postquam Claudius ab octo ferè annis Romæ obiisset anno 1614. vltima Ianuarij. Substitit Romæ vique ad finem anni 1623. (vbi tunc Gregorium XV. monitè vidit, & successorem Vrbanum VIII. veneratus est) & in Belgium rediit, appulit anno 1624. Ianuarij (quæ omnia ex diario eius, propriâ eius manu scripto habemus) obiit autem Lessius anno 1623. 15. Ianuarij. Non ergo Romæ P. Claudio, nisi mortuo, loqui, nec Lessio, nisi iam annum ferè integrum sepulto, responsum referre potuit. Quid ad hæc Ianseniani?

EVISSE oportet (inquit) etiam ante Romam, sub Aquanina.

OPORTERET sanè, vt quæ falsa sunt, vera fiant; sed id erit ad Calendas Græcas.

XIV. PARERGA.

Dicunt, doctrinam Iansenij sine dubio maxima ex parte esse S. Thomæ. In vno Episcopo conuincit tantum, non argumentis opprimi. pag. 73.

RESP. Si asserere fati est sine vlla proba-

tione, omnes omnium temporum, & locorum scriptores vestri erunt, vbi liberis, petinde ac D. Thomæ. nos negamus eum à vobis stare vel in vilo articulo totius doctrinæ Iansenianæ

Iansenianæ à nobis oppugnatae. Verùm non negamus tantùm, quod frustra esset, sed luculentè ostendimus in Thesis nostris, in quibus vix vllus articulus est testimonis D. Thomæ euidentibus non munitis. agite infringite illa, sed vt dubium non super sit, quòd nobis non faueant; tum per nos licebit, vt magis Theologicè ore, quàm modò præstitum, dicatis doctrinam Iansenij sine dubio maximà ex parte esse D. Thomæ. Sed quæ hæc tandem confidentia est? Doctrina ista conuictis tantùm, non argumentis opprimitur? itane verò? Vobis ergo conuicta sunt Scripturæ S. testimonia, Conciliorum definitiones, Pontificum decreta, SS. Patrum irrefragabiles auctoritates, Doctorum Scholasticorum per quinque sæcula consensus, ipsius matris vestræ celeberrimæ Academiæ Louanienfis, in quâ summus Pontifex vnus, doctissimi Episcopi sex, vnanimis vox, & sententia? Atqui hæc sunt, quibus Iansenij doctrina non tam à nobis, quàm ab ipsis oppugnata est. Videte igitur, quot & quantos viros conuictis tantùm, & non argumentis certare à vobis dici conuincatur.

DICUNT Augustinum Iansenij in Infernum Bibliotheca Societatis Louanij deiectum. pag. 79.

RESP. Confectum est. Nam exemplaria quæ habemus non fuerunt extra manus esse Iansenij & Ianseniani.

DICUNT: Pari interrogandi ferocia innocentiam suam apud Emin. Cardinalem de la Cueva tueretur, P. Viuerus. Cùm dixisset, satagere iam pauidos Bruxelle, ne calami Academi in THESES eorum distringeretur. Sed numquid satagimus, inquit (P. Viuerus,) apud aliquod Concilium? DD. Præsidentem & Cancellarium? Numquid in aula apud Ministrum? Numquid & apud Principem? Celsitudinem appello. In qua Curia? Numquid Ecclesiastica? Ita mi Pater. Perge tamen interrogare. Apud Illustrissimum Archiepiscopum, aut Reuerendissimum Pro-Nuncium? Apud vtrumque? & videbimus an ausus sis negare. pag. 86.

RESP. Auder omnino negare P. Viuerus; & negat præterea Reuerendissimus Pro-Nuncius se ab vilo rogatum. Nec aliud ab Illustrissimo Archiepiscopo testimonium expectat, simul ac cum illo agere licebit. Et tu perges asserere nos apud Reuerendiss. Pro-Nuncium fatigasse, ne calami Academi in Thesis nostras distringerentur? Si pergis, depone laruam, & prode tuum nomen.

DICUNT, falsum esse, quod Bellarminus lib. 1. de gratia & libero arb. cap. 12. sententiam suam hac particulâ moderetur: quantum ego existimo. pag. 24.

RESP. Verissimum esse, quod falsum pronuntiant. Vide dicti capitis §. hæc opinio: in edi-

tione Ingolstadiensi anni 1593. & Lugdunensi, anni item 1593. quæ viuente Auctore prodierunt in lucem, nec in correctorio quoad hanc locum emendatæ. Frustra autem fuit prouocare ad §. denique, eiusdem capitis, qui non fuit citatus.

Sæpe ingerunt controuersias Molina, & Lessij de libertate, gratiâ efficaci, & electione ad gloriam: adeoq; perperam à nobis dictum obiciunt: Societatem nihil noui à se, sed omnia à S. Augustino & aliis SS. Doctoribus tradita docere. variis locis: signanter pag. 82.

RESP. Hæc nihil faciunt AD REM; in totis enim Thesis non fit mentio harum cõtrouersiarum, quæ Molina, & Lessio illis temporibus fuerunt particulares, atque inter ipsos Societatis Auctores disputantur: sed eorum tantùm, quæ in Capitis 2. articulis proponuntur, & nobis sunt cum Thomistis, Scotistis, Nominalibus, & Scholasticis Doctoribus omnibus communia. Quare verè dictum, Societatem in hisce Thesis nihil noui à se docere, sed quæ à S. Augustino, ceterisq; SS. Patribus, & Doctoribus Scholasticis accepit.

DICUNT, eundem errorem (Semipelagianorum) in Basilio, Nazianzeno, Chrysostomo, alijsq; promissimum est ostendere. pag. 42.

Responsum fuit Thesi apologetica 13.

ITERVM RESP. Pro D. Greg. Nazianzeno 1. cum D. Thoma 1. p. q. 61. artic. 3. Gregorij Nazianzeni tanta est in doctrinâ Christianâ auctoritas, vt nullus vniquam eius dictis calumniam inferre præsumpserit; sicut Athanasij documentis, vt Hieronymus dicit. 2. cum Breuiario Rom. ad festum eius 9. Maij lect. 6. Greg. Nazianz. doctorum hominum sanctorumq; iudicio id affectus est, vt nihil in illis (scriptis eius) nisi ex vera pietatis, & Catholica religionis regula reperiat: nemo quidquam iure vocare possit in dubium. Pro D. Basilio Respondeo cum Greg. Nazianzeno iam laudato, & Breuiario Rom. ad eius festum lect. 6. Nemo sacre Scripturæ libros verius, aut vberius (quàm Basilius) explicauit.

SYLLOGISMVS IANSENIANORVM pag. 72.

Omnia dogmata de gratiâ, & eò pertinentia D. Augustini approbavit Sedes Apostolica.

Sed pleraque dicta Iansenij sunt dogmata Augustini, aut cum iis connexa: ergo

Pleraque dicta Iansenij approbavit Sedes Apostolica.

HVIC OPPONO SYLLOGISMVM CALVINISTARVM.

Omnia quæ tradidit Scriptura dictauit Spiritus sanctus.

Sed

Sed omnia dogmatica, quæ dixit Calvinus, tradit Scriptura: ergo

Omnia dogmatica, quæ dixit Calvinus, dicantur Spiritus sanctus.

In viroque aequè difficulter probari potest minor.

VTRIQUE OPPONO HVNC
NOSTRVM.

Quod docuerunt Concilia, SS. Patres ante & post D. Augustinum, & vnanimiter Doctores Scholastici in materia dogmatica de

gratia, hoc docuit D. Augustinus:

Sed Iansenius non docuit; docent autem Theſium Auctores, quod docuerunt Concilia, SS. Patres ante, & post D. Augustinum, & vnanimiter Doctores Scholastici; ergo

Iansenius non docuit; docent autem Theſium Auctores, quod docuit D. Augustinus.

Maior vera est, & opposita iniuriosa D. Augustino.

Minor probata est in Theſibus, & quoad Patres antiquiores D. Augustino, præsertim Græcos, & Doctores Scholasticos concessa à Iansenio.

Consequentia legitima.

OBSERVATIVNCVLA.




In Theſibus apologeticis theſi 9. ad hæc verba: Vnicum interdum sanctum Patrem, ceteris neglectis, rapiunt in defensionem suæ heresis. Respondimus, tâquam de nobis dicta forent ab Aduersariis, verum cum deinde obseruauerimus, magis naturalem esse sensum alium, quod de ipsis hæreticis dicta sint, in eorum locum, quæ priori interpretationi subtexta sunt, volumus hæc substituere: Iste hereticorum mos, quod vnicum interdum sanctum Patrem rapiunt in defensionem suæ heresis, nihil iuuat Iansenium, aut eius fautores, sed obest potius, nam quod insinuant, id merito factitatum ab Iansenio, cum Augustinum pro se adducat, qui vnus instar omnium est, iam hac ratiocinatione hæreticis ipsis, quos oppugnant, nimium quantum fauent: nam si vnicum sanctum Patrem illi pro se rapiant, neglectis ceteris, is ferè solus est Augustinus, præsertim in materia gratiæ, prædestinationis,


ac liberi arbitrij. Quid Lutherus, quid Kemnitius in toto opere examinis Concilij Tridentini aliud habent in ore quàm Augustinum? Calvinus cerè vsque ad id dogmata sua Augustini auctoritate stabilire conatus est, vt in solis Institutionibus ferè trecenta testimonia adferat, eaq; bona ex parte in eadem materiâ, imò & eodem sensu, quo Iansenius; viderim ergo, quo pacto Iansenium propugnent, dum putant factu esse id inculcare, quod Augustinum vnum instar omnium pro se adducat, & attendant non id agi, an Augustinus, imò & Scriptura sacra (quæ plus quàm instar omnium sanctorum Patrum est) trahantur in partes, sed quàm rectè, & quàm sincerâ interpretatione adducantur. Neque hic dicant cum Iansenio tomo 3. col. 878. Propter Augustinum Caluino potius gratulandum, quàm propter Calvinum Augustino indignandum: sed fateantur necesse est, merito suspectam esse illam Augustini interpretationem, quæ aded cum heterodoxorum sensu symbolizat.

Pag. 10. col. 1. lin. 13. post Lectorem. adde. Nisi annus hic sit 1613, quod Montefinus tom. 1. in 1. 2. pag. 81. referat decretum à Paulo V. conditum an. 1612. 24. Iulij, & iterum 26. Aprilis 1617.


Veritas manifestanda est, nec errores
dissimulandi.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.





Beise
De...
...
...



Bolco
De...
T...
D...





BOSCO
DE DEO
ET FIDE

Th
447a

Bosco :
De Deo & Fide
Item
Theses variae.
D IV
7